SEPTEM SACRAE PHIALAE CORONATÆ,

SEV

Septem Praxes, septem Altaria priuilegiata visitandi.

Septemplici B. MARIAE Virginis Coronæ accommodatæ,

Septem Almæ Vrbis celeberrimarum Basilicarum Indulgentijs in fronte signatæ.

Ad hæc de Indulgentijs Ecclesiasticis Doctrina summaria illustrata.

Denique Coronam IESV CHRISTI Saluatoris nostri texendi quadruplici praxi augmentatæ.

OPERA

F. P. AVGVSTINI DOBROVVOLSKI

Paradisi S. Mariæ

Ordinis Cistercien. in Polonia Professi Presbyteri, & pro tunc eiusdem Monasterij PRIORIS.

Provinciæ Poloniæ

ROMÆ,

Ex Typographia Bernardini Tani, 1647.

Superiorum permissu.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo ac Sac. Apost. Pal. Mag.

Alex. Victricius Episc. à Later. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Magister, & Reuerendissimi P. M. Sacri Palatij Apostolici Socius, Ord. Prædic.

EMINENTIS.MO AC REVERENDIS.MO

PRINCIPI

GASPARI

MATTHAEIO

S.R.E. Cardinali Amplissimo

REGNI POLONIÆ

Protectori Optimo,



Domino, & Patrono Colendissimo

Salutem, & Perennem Felicitatem.

FIDE, & religione tametsi ciuis, & domesticus, parente nihilominus aduena, & peregrinus, præsens libellus, Romæ, sine magno Patrono, in publicum prodire me-

tuit. Metuit autem, ne, vel vti ignotus, sic ingratus habeatur, vel certe, vt paruus, inter Magnos aliqua mole oppressus conculcetur. Pusillorum enim, vel ipsa grandior moles, timoris mater est. Ipse autem pusillus est: Romæ autem nihil omnino non magnum. Magna in se, Magna in suis, Magna prorsus & semper, & in omnibus Roma. Et tantam quis non timuit, non timet, aut non timebit? Quamquam illa amari magis, quã timeri in sua magnitudine, magnifice adlaboret: quod etiam in ea magnum patrocinium sperandi aliquantum deterso timore, motiuum eidem paruo libello est.

Accedit quod in sacris natus, immo ex sacris totus formatus, dum, reflexus adspicit ea inter quoddam pro magnis, immo pro paruis ad magnos à Maximo magnũ exire decretum: Ex ratione maioritatis minorum defiriens defensionem: ab hoc magna spe assurgit, in magna religionis, ac pietatis parente, ad magnum sua paruitati patrocinium inquirẽdum. Enim verò tali spe augmentatus, vt maiore defensione gaudeat, maiorum inter magnos ambit patrocinium. Sacrum siquidem Purpuratorum venerabundus suspiciens Senatum, sub ipsius tutelam se recipere disponit. Sed ex tot Eminentissimis sub cuius? Sub Tuam Eminentissime MATTHAEII Cardinalis Amplissime, Tua purpura sacra tinctus, in lucem auet prodire: sacra purpura tua adornatus in Deo deuotorum ... ium vsum Romanorum exoptat deuenire. Ius siquidem patrocinij apud Eminẽtissimam Celsitudinem Tuam

sub

ſub duplici titulo ſibi inſcriptum expetit ſub REGNI POLONIAE PROTECTORIS & FLORENTISSIMAE GENTIS de MATTHAEIS.

In Legatione Apoſtolica apud S. Cæſareã Maieſtatem inuictus VLADISLAVS IV. Poloniæ, & Sueciæ Rex Sereniſſimus, ac ſimul glorioſiſſimus, & Dominus meus Clementiſſimus Virum Te maturum prudentia, plenum authoritate, ad maxima gubernacula natum, & vſu rerum tractandarum Europæ notum latus ſuſcexit, ſuique poſt Regni inclyti Protectorem expetijt, & obtinuit: & nunc multum gratulabunda POLONIA gaudet Eminentiſſima Celſitudinis Tuæ optima Protectione: & libellus à Polono formatus hæſiſſet adhuc ſubire Eminentiæ Tuæ patrocinium? Sacer Polonicus partus, non rectà diuertiſſet ad Regni POLONIÆ optimum PROTECTOREM? Non hic negligit ille ius ſuum, ſed lubens Tua, pietate & humanitate extentæ Aquilæ Gentilitiæ ſe ſupponit, vt per eam in manus ſanctè feriatorum, quibus litare ſatagit, viſitatorum, & Oratorum gratius deferatur. Et ne, vtpote peregrinus alicuius linguæ nouercantis pateat diuexationibus, tuum teſſelatum ſcutum, eo protegendus, ſubit. Quod tametſi cuiuſdam ſublunaris viciſsitudinis in triſtibus latiſque formam exhibeat, omnia nihilominus ſibi candida ex eo ominatur, dum illud ſiue Campo Elyſio ſiue vitta aurea, ex lege Clariſſimæ Gentis Tuæ præcinctum intuetur.

Ad hæc à Ciſtercienſe, tametſi rudiore

manu, formatum opusculum perantiquæ Genti de MATTHÆIS nobilissimo nomini subseruire debuit, cui maximos è Religiosa Cisterciēsi Familia se totos olim deuouisse nō male meminit. In quo stat ille vnus pro pluribus Doctor mellifluus BERNARDVS Clareuallensis Abbas sanctissimus. Tantum enim vir ille beatus huic Genti nobilissimæ se impendit: quantum pro INNOCENTIO II Optimo, & Maximo Pontifice, laborum per plures annos, non minus indefesse, quam feliciter exantlauit. Nisi forte aliquis, libello peregrino, ipse in historia Pontificum Romanorum magis peregrinus, Maximum hunc Pontificem Genti Tuæ allegare dubitaret? Talem ego fideli calamo ad Tomum primum Historiæ Pōtificum Romanorum, & S. R. E. Cardinalium, adducto, vt sub dicto Innocentio Secundo ad annum Christi 1130. *quod mūdus legit, & ille pro depulsione dubitationis hæc legat.* Innocentius secundus est electus natione Romanus, de Regione Transtyberim ex familia quæ tunc Guidonia, postea de Papa. *Vnde etiam fuit Ioannes de Papa, prius Diaconus Cardinalis S. Agathæ in Suburra, dein à Benedicto IX. Episcopus Prænestinus creatus.* Et Paparesca vocitata est. Hanc vero gentem, eam esse, quæ nunc de MATTHÆIS appellata, nobilissima in Vrbe. (*Immo in Orbe*) viget, Panuinus docet ex vetustis tabularum eius Familiæ instrumentis: & qui nunc de MATTHÆIS, tunc de Paparescis vocabantur.

Licet

Licet igitur breuitatis studiosus calamus, venerabundo silentio prætereat, non solum magna illa, inter alia, lumina Gentis de Matthæis; Cyriacum, Ioannem Baptistam, & Asdrubalem Matthaios Arcis Synibaldæ Illustrissimos Marchiones; verum etiam clarissimum illud Gentis suæ, & totius sacrosanctæ Ecclesiæ Dei sub Sixto V. Vrbano VII. Gregorio XIV. Innocentio IX. & Clemente VIII. olim Romanis Pontificibus non minus virtutum prærogatiua quã natalium splendore coruscãs luminare HIERONYMVM de MATTHÆIS Presbyterum Cardinalem amplissimũ: sat paruo est libello, Magnũ te vel ex eo agnoscere & expetere suum patronum, quod cum Maximo illo ab innata virtute omnigena, semper eadem, etsi agnomine diuersa, Gente nobilissima ducas originem, quam etiam velut ex lege hæreditaria sacra Eminentia purpuras: aut certe eius perantiqua nobilitate amplissimum purpuratorum patrum mire senatum exornas. Ex hoc libellus conceptam spem firmat ab Eminentissima Celsitudine Tua sibi eluentura maioris defensionis, quem præ alijs sacri Senatus Principibus, adlectum sibi iure maiore gratulabũdus recognoscit patronum, Cuius, & ego ius vt manu prehendam, meorumque maiorum, etiam hic vestigia, pro debito vt premam, iam eum Tuo Eminentissime Ecclesiæ Dei Princeps patrocinio resigno, iamque eum sub Tua Eminentissimæ Celsitudinis Protectione in publicum, etiam inter inuidos osores, securum exire iubeo; innata POLO-

NIS ad suos beneficos gratitudinis in argumentum: & ad nobilissimam Gentem de MATTHÆIS in Cistercienſibus nunquã remissi cultus & obseruantiæ, in comprobationem.

Sueta igitur, & nulli non experta humanitate, & beneuolentia Eminentissimæ, ac Reuerendissimæ Celsitudinis Tuæ patrocinium, excipe, cum suo Authore, subeuntem libellum: & vt sacratus sacrosanctæ Ecclesiæ Dei Princeps, SACRAS PHIALAS CORONATAS; quas ille in se defert, sacris Oratoribus, & Visitatoribus Deiparæque Virgini Matri deuotis, sacra Eminentia Tua Magnum, & Gratum effice, atque appretiatum. Cum hoc voto ille splendores sacræ Purpuræ Tuæ subit, & vt Omnipotens Eminentissimam Celsitudinem Tuam, quam diutissime sanctæ Ecclesiæ suæ, & Tuis Clientibus, in omnibus florentissimam conseruet, per Authorem suum in Cœlum vota emittit, inque illis immobiliter sistit.

Eminentiss. ac Reuer. Celsitud. Tuæ

Minimus Clientum

Fr. Augustinus Dobrovvolski pro tunc Prior Paradisi S. MARIÆ Ord. Cistercien. in Polonia.

PRÆ-

PRAEFATIO IESV CHRISTI REGIS ÆTERNI

Stationarijs Militibus, seu deuotis visitationum Oratoribus.

PRAXES visitandi septem Altaria, priuilegijs totidem Altarium Augustæ Principis Apostolorum Basilicæ in Vrbe, à Summis Pontificibus Romanis dotata, atque eorumdem Indulgentijs ditata, ex vsu priuato, & singulari in publicum, & communem profero. Equidem opus minimum, si tamen non ingrate à Christi paruulis susceptum fuerit, non dubito magnum fore, & si non maximum. A suscipiente namque id, quod offertur, & pondus, & pretium non raro acquirit. Ipsum tamen in colenda vinea Domini Sabbaoth, cœlestis agricolæ fidelibus administris, non satis ausim deferre: ne forte in salutari œconomia humanorum animorum, ab operibus sanctioribus, se causentur talibus retardari. Horum igitur dignationi illud commendatum esse percupiens, illis Oratoribus sacris ex proposito deuotum esse velim, qui in abscondito Dei tabernaculi, a conturbatione hominum absc̄oditi, Vnico Optimo cum Maria tota mente affixi, ex rationibus sui instituti, *Intentio Authoris de praxibus.*

† 5 mundas

mundas quotidie in orationibus ad cœlum leuatas retinent manus, vt vincant, qui contra aëreas potestates, pro salute populi Dei, operibus misericordiæ, qua corporalibus qua spiritualibus salutariter depugnant. Hi namque velut ad aurem summi omnium moderatoris depositi, iucunda supplicationum suarum varietate, bella Domini bellantium quotidianas necessitates maximo vniuersorum Præsidi, pro debito status sui, exponere cum satagant, non ingratum habere assolent, quicquid infirmantis animi sui natiuam mobilitatem, in salutaribus cum Deo tractandis, cum Deo negotijs stabilit: atque in aure Diuina pulsanda, eorum pie molestam constantiam corroborat. Cuiusmodi eorum pijs votis, vt vel lenissime adlonem, septuplices praxes visitandi septem Altaria, ad instar S. Petri de Vrbe, priuilegiata, illis offero, vt eisdem ad Deum pro Israel leuatæ contra Amalec eorum sacratæ manus sustententur: ipsisque ab omni mentis lassitudine præseruatæ, in opere Diuino ad vota Sacrosãctæ Ecclesiæ stabiliantur. Omni namque ex parte illud fouere condecet, quod omnibus ad omnia conducit, & quod seruatum plura conseruat, nedum in sua virtute custodiendum, verum ad efficaciora pro viribus promouendum.

Iam vero priuilegiatæ visitationes Altarium priuilegiatorum toti Sacrosan-

ctæ Ecclesiæ militanti quanta adferunt bona, quis sub numerum ducet? aut quot quærisue eius eant obuiam succurrantque necessitatibus quis super, igitos cuncta reponet? Fructus etiam quos dictorum Altarium deuoti Visitatores, velut Mosaizantes, aut Onizantes in Iosuabus, & Machabæis Christianis faciunt, quis ad vltimum calculum reducet? Hi enim gladio salutis, quod est Verbum Dei, pro salute animarum strenuè decertantes, & laboriose desudantes, euellunt, destruunt, dissipant, & disperdunt, ædificant, & plantant, verumenim verò illi, & abundantiorem fœcunditatis pluuiam, & fructificandi vberiorem gratiam, viresque ad omne opus salutare ab eo à quo venit omne datum optimum, & omne donum perfectum, impetrant. Quid? Illi in salutaribus operibus hos conseruant: illi non solum ad agendum efficaciam, sed etiam in agendo securitatem his adferunt. Et sicut sub solicita custodia, & insomni vigilia militis stationarij, reliquus exercitus stat & agit fidenter, atque tutus ab hoste seruatur: ita dum prædictas visitationes stationarias, Christi Domini auriculares, deuota mente peragunt, reliquos Domini Exercituum athletas, facilius & salutarius in suis stationibus continent, & conseruant?

Nec fors incongrue, deuotos dictorum Altarium visitatores Christi Domi- *Vnde septem Altar.*

ni, stationarios dixerim, siquidem & ipsa septem Altaria, à septem stationarijs Romanæ Vrbis, structura, indulgentijs, & peregrinationibus Orbis totius, celeberrimis Ecclesijs, nata sunt, earundemque gratijs cœlestibus, à Thesauri Ecclesiæ sacrosanctis summis sub cœlo Præsidibus, & dispensatoribus sunt dotata. Quod ipsum præter Deo, & eius Ecclesiæ communem fidelium sensum, veritati addicit Tabella quædam peregrinorum instructionis veteris Basilicæ in Vrbe Roma, cuius inscriptionem, Franciscus Maria Turringius Tractatulo suo de Indulgentijs septem Altarium, euulgauit. Et est talis: [In hac Basilica septem Altaria priuilegiata existunt, maioribus indulgentijs, & remissionibus reliquis dotata: & ex antiqua traditione constat à Summis Pontificibus, ea visitantibus tot indulgentias, & remissiones concessas fuisse, quot, si septem Ecclesias intra, & extra Vrbis mœnia visitarēt: & diebus festis duplo maiores.] Hęc Altaria cum suis indulgentijs, e veteri Basilica Saluatoris in primis, post vero Sancti Ioannis Lateranensis dicta in Basilicam Principis Apostolorum Vaticanam Paulus Quintus Pontifex Maximus trāstulit. De qua translatione idem author supranominato opusculo hæc habet: [Paulus V. anno 1605. die 20. Octobris transtulit septem Altaria priuilegiata, e veteri in nouam Basilicam Vaticanam,

Quales ipsorum Indulgentia.

quibus confirmauit omnes indulgentias quas sui Antecessores eidem contulerāt, vt notatum est in eodem Archiuio.] Et de his translatis (Ad quorum instar, alijs Ecclesiis per Orbem Christianum, iam nunc dari consueuerunt) scriptum est illud à Camillo Bene. [In Ecclesia S. Petri sunt septem Altaria priuilegiata, in quibus sũt toto anni cursu stationes cum infinitis indulgentijs: hæc in diebus festiuis multiplicantur, & ea visitantes acquirunt indulgentias, vt si visitarent septem Ecclesias præcipuas, intra, & extra Romam.]

En fidelissima statiua Christiani orbi. En septem portus salutis Deo deuotorum, quos velut septem Ciuitates refugij verò Israeli, ex promisso Christi Domini; vniuersæ terræ altissimo obtento Principatu, summi in Orbe sublunari sacrosanctæ Ecclesiæ Principes, posuerunt. Hinc quemadmodum furibundum nauigantes mare ad stationes seu portus, quo se iratis aquarum fluctibus subducant, etiam à proposito viæ termino, non raro deflectendo confugiunt: ita Christo Domino fideles, in Petri nauicula, mare magnum, & spatiosum sæculi huius nauigantes, contra se à tartareo dracone, & ex eo natis reptilibus, concitatos fluctus, vt effugiant, ad merita Christi Domini, & iam beate triumphantium Sanctorum (quibus dictæ stationes formantur) confugiunt; idque

Septem Altaria velut septem Ciuitates refugij.

non

non solum, extra laboriosam actionem, soli Deo vacantes, verum etiam salutaribus Marthæ operibus solicite insudantes; non solum in sortem Dei vocati, verum etiam sæculi negotijs intricati; non solum vulgares iusti ac religiosi, verum etiam sanctissimi quique, immo & ipsi Romani Summi Pontifices. [Singulis, inquit, Petrus Fuluius, sextis ferijs Mensis Martij omni anno à Summo Pontifice vna cum Cardinalibus, Episcopis, Prælatis, alijsque fere innumeris septem Altaria visitari solent, & à Confessoribus sæpissime iniungitur, vt hæc septem Altaria visitent.] Et tales ac tanti ad tam pium, & salutare opus saltem post se quos trahere non deberent, aut in portubus istis sacris multam securitatem, pacemque abundantiorem esse cui non persuaderent?

Quãti fiant etiam à Sũmis in Eccl. Dei visitationes dict. Altar.

Certe, etiam decreto populari, in exercitu populorum, nonnisi decantatissimæ, & portentosæ forent illæ stationes militares, quas ipsi exercitus Duces, & Imperatores, cum lectissimis suis, peragerent. Quantis igitur apud Christo fideles appretiandę veniunt, spirituales, de quibus est nobis sermo, stationes, in quibus ipsi sacrosanctæ Christi Ecclesiæ militantis Summi, & sanctissimi Patres, ac Principes excubias agere, & pro vniuerso exercitu Dei, murum contra iras cœlestes, & insultus tartareos, sese opponere visuntur? Horum clarissima

exempla

exempla vniuerso gregi Christi Domini sese dederunt Pius Quintus, & Clemens Octauus, Romani Pontifices, qui tum alias tum præcipue Bacchanalium tempore dicta Altaria visitare solebant. Quod ipsum Vrbanus Octauus maxima cum deuotione facere solebat, qui, vt orbi vniuerso testatus est scripto suo supradictus Franciscus Maria Turrigius, sæpe Altaria priuilegiata Basilicæ Vaticanæ visitabat, suis præsertim calamitosis temporibus, prębens exemplum, vt bonus Pastor suo gregi idem religiosè faciendi. Et de INNOCENTIO DECIMO ad clauum sacrosanctæ Ecclesiæ Dei, munere, & virtute Maximi & Optimi Pontificis feliciter nunc Præsidente Orbemque Christianum spiritu Apostolico Gubernante, quid hoc loco angusto nimis calamo signabo? Certe etiam hic Ter Maximus est: Etiam in hoc, suo Nomine, Munere, & numero, ter perfectissimum, Religionis, Pietatis, & Deuotionis exemplar, omnibus Deo & sibi deuotis se exhibet. Neque solum clarissimo, & maximo huiusmodi exemplo suo præbet, consilium Christo, & sibi fidelibus, & modum ostendit e coelo, quo tam suis, quam totius Ecclesiæ vrgentissimis necessitatibus, auxiliatrices euocent attrahantq; manus Diuinas: sed etiam potestate Apostolica, & paterna prouidentia ad idem peragendum opportuna auxilia subministrat;

dum

dum ad instar septem dictorum Altariũ Sancti Petri in Vaticano, totidem Altaribus, eorumdemque indulgentijs per plura Regna Catholica, & nostri Poloniæ inclyti Regni, plures Ecclesias Cathedrales, Parochiales, & Regulares ditat, & adornat.

Quantum deuotionis incrementũ ex concessione dictorũ Altar.

Cuiusmodi Apostolica gratia, innumerabilium virorum piorum deuotionẽ quantum excitet, atque adaugeat, satis est experiri tum alibi, tum vel maxime in sacris domibus religiosarum familiarum, in quibus & senes non minus vitæ meritis, quam canitie annorum venerandi, & iuuenes amore Diuino magis, quam sanguine feruentes, velut apum cœlo digna examina, omni die, & fere hora currunt & recurrunt deuote obeuntes dicta septem Altaria, & in eis velut in septem cœlestibus candelabris proponunt, & exponunt sanctæ Ecclesiæ militantis negotia coram septupliciter oculato Agno, ferente in se, & excellenti potestate sua causas mundi definiente: ab eo demissa oratione, exposcentes, vt sua virtute omnipotenti, à tota sacrosancta Matre Ecclesia eique fidelibus filijs longe propulset spiritum omnis malitiæ & nequitiæ; qui calamitosissimis hisce temporibus, quantum à Deo potestatis acceperit ad affligenda, & diuexanda Christiana Regna, commouendosq; contra Orthodoxam fidem tot Deo infidos populos, atque

Septem Altaria velut septem Candelabra Apocalyptica.

etiam ad disseminandas inter Principes Catholicos discordias, vel in ipso sacro Imperio Romano non sine dolorosis lacrymis est videre? Quot enim inures illæ de ore bestiæ infernalis, & regno eius tenebroso egressæ contra Christum Domini Reges, ac Principes concitarunt? Quot ex speciosioribus, & pretiosioribus etiam ipsi Deo deuotis corroserunt, vel in suas lacunas asportarunt? Quot quantasue abominationes desolationis in Deo sacrata loca, ipso permittente, & velut his indormiente, introduxerunt? Quot fontes Imperij, & flumina, & terras sanguine innoxio, velut murice tinxerunt, aut potius cruentarunt? Quot Ciuitates, Oppida & villas, cum suis plerisque colonis, aut ferro exciderunt, aut fauillæ ac cineri insepeliuerunt? Et inter hæc quot vtriusque partis millia hominum fame attenuata, morbisque lethalibus oppressa, morti magis, quam vitæ, amicæ, manus dare compulerunt? Et his non multũ dissimilia de alijs Christianis, immo & Catholicis Regnis, nec pauciora, neque minus quotidie dolenda videmus, vel audimus, ita vt his deploratissimis temporibus, quæ Christo & eius Ecclesię fidelibus mala obueniũt, ad illa, quæ extreme, & vltimato malignaturo mundo, in sacris literis sunt cõminata, & prædefinita animo reductis, magna sui parte eos peruadere deprehendantur.

Adumbratur præsens status Eccles.

Etsi

Etsi enim necdum apparuerit Filius perditionis, qui se leuaturus est super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur, & soli adhuc Antesignani eius bella inferant Sanctis Dei, iam tamen phialæ Apocalypticæ plenæ irarum Dei in orbem sublunarem effundi videntur, & non modica ex parte, illis sibi fideles, illis pœnis videtur exercere Deus, quibus bestiæ characterem habituros, se condemnatorum ocello suo sancto Ioanni Apostolo Euangelistæ & Legis Gratiæ singulari Prophetæ, iam pridem ante præostendit. Sed bene. Sic enim necesse est, impleri, præter alias plures, etiam illam scripturam, quæ dicit: *Quia non relinquet Dominus, virgam peccatorum super sortem iustorum*: Et quare? Nimirum; *Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas*. Et certe optime. Sic enim mala pœnarum non veniunt sine melioribus Diuinarum gratiarum prouentibus. Nam illis, & filios à se elongatos, vt Pater amantissimus, reuocat Deus; & in varios actos errores, vt Magister optimus, ad fida veritatis & salutis statiua reducit; & medio iustitiali immobiliter insistentes, vt gratiæ dator, & gloriæ, ad altiores gradus meritorum salutariter prouehit; & suorum ad se fidelitatem, vt Altissimus Dominus, explorat; & Athletarum suorum, vt Summus Imperator, vires excitat & intendit; denique illis, stationariorum suorum

Finis flagellorum Dei.

amorem,

amorem & solicitudinem, qualem quã-tamuè circa pacis, & salutis negotia, suorum populorum habent, vt feruentissimus animarum zelator probatam relinquit.

Et his nihil quidem dubito, adesse plurima, & efficacissima argumenta, quibus & gloriam Dei, & suorum in Christo Confratrum salutem, se zelare efficaciter probant: nihilominus, vel minimam inter huiusmodi partem habere exceptas, pluribus eorumdem industrijs, quibus Deum in suos peramanter sæuientem, à rigida iustitia, ad lenem misericordiam inclinant, manusque eius ad feriendum extensas auertunt, has simplices & minimas, præsentes videlicet visitandi septem Altaria priuilegiata praxes appono; easque sub nomine septem Phialarum sacrarum, illis præcipue quos initio proloquij signaui, eo motus, offero: vt vel tali earum nomine exstimulentur magis & inflammẽtur, ad hasce, aut similes, vel certe à Dei digito elaboratiores opponendas illis alijs septem phialis apocalypticis, quarum de amarissimo, & si permultis non insalutati merò potari & inebriari, immo & consopiri vident, vel inaudiunt, etiam Christum, vitā immaculata profitentes, eiusque Sacrosanctæ Ecclesiæ fidem intemeratam conseruantes. Et quia illæ plenæ iræ ac indignationis Diuinæ ab oculato Propheta Ioanne sāctissimo esse

Cur præsentes praxes, phialæ dictæ.

de-

describuntur: ideo præsentes, plenas odoramentis, quæ sunt Sanctorum, ac præcipue ipsius Sancti Sanctorum merita, dictorum Altarium visitationibus, per Summos Christi Domini in terra Vicarios applicata, illis contrapono: vt his conclusæ miserationes, vincant illis ad vindictam in nobis faciendam, præpararatas iustitias. Tot autem in visitationibus dictorum Altarium, Diuinæ miserationes conclusæ, quot deuotis eorumdem Visitatoribus indulgentiæ a Summis Pontificibus sunt decretæ: quarum etiam tabulas ex probatis Summarijs fideli calamo huc translatas, dandis praxibus, anteponere libuit, vt sub oculis positæ, efficacius quemque exstimulent, ad salutarem laborem stationarium subeundum ac frequentandum.

Porro praxes subsequentes, & per varia mysteria vitæ, passionis, mortis, & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & per varios modos per cœlites, ac in primis per terræ cœlique Reginam Summo Deo supplicandi, dum deduco: lut varijs odoramentis Phialas sacras, deuotis Oratoribus impletas offero.

Ratio sequentium Praxiũ describitur. Quarum quidem impletur, dum formatur Prima Mysterijs gaudiosis vitæ Domini nostri IESV Christi. Secunda, Notioribus mysterijs Passionis eiusdem Saluatoris nostri. Tertia, maxime celebribus septem IESV Christi sanguinis effusionibus. Quarta, Testamẽtarijs eiusdem

dem in Cruce verbis effusis. Quinta, Notioribus gloriosissimi Redemptoris nostri, post suam à mortuis resurrectionem apparitionibus. Sexta, per annos mortalis viæ intemeratæ Dei paræ multiplicatis salutationibus, & his totius vitæ Domini IESV Saluatoris nostri, qua gaudiosis qua dolorosis, ac denique gloriosis mysterijs informatis, quorum velut disiunctiuus complexus, & sub oculos ponit mistionẽ calicis, quo Deus sub cœlo, suos potare consueuit; & digito monstrat, quomodo Sanctus Sanctorum in terra seminando primas iustitias, vbique sibi proposito gaudio, crucem sustinuit. Denique Septima Praxis septem gloriosis gaudijs Deiparæ informatur. Singulæ autem nostrarum Phialarum partes, Diuina poesi, aut sacra Rhetorica adornantur; dum singulis praxium mysterijs Psalmi, aut Cantica, cum proportionatis sibi, vt plurimum ex SS. verbis, & supplicationibus, formatæ precationes, ad assequendas indulgentias huiusmodi Visitationum requisitas conditiones exprimentes, accommodantur. Iam verò conditiones à Summis Pontificibus hic præscriptæ illæ sunt; nimirum, pias ad Deum preces effundere, pro Christianorum Principum concordia, pro hæresum extirpatione, & pro sanctę Matris Ecclesię exaltatione. Quibus vt eo melius fiat satis, in vnaquaque Praxi in primis præmit-

tuntur

tuntur Gratiarū actiones pro dictis donis, ac decoribus à Deo, S. Ecclesiæ, annis & sæculis præteritis, concessis: tum demum, pro præsenti ac futuro tempore, in subsequentibus precationibus, eædem gratiæ eidem Sacrosanctæ Christicolarum Matri, petuntur. In cuiusmodi causis supplices libelli alicubi pro diuersitate mysteriorum praxibus affixorum, totaliter diuersificantur; non item autem alicubi, sed per varia mysteria pie defluentes affectus, eadem supplicationum conclusione colliguntur; vt huiusmodi varietatis condimento sapidiores, & magis appetibiles, præsentes praxes reddantur. Res enim virtutis varie condiri debet, vt infirmantiū gustus ad eam efficacius solicitetur. Additamenta autem ad nonnullas vulgatissimas supplicationes in quibusdam praxibus facta, cum præter, & non contra earumdem vsum communem veniant, nō ingrata fore arbitror; quia apud Deo deuotos numquam inimicum, vel ingratum, quod summo Bono facere potest hominem amicum magis, & gratum.

NOTA BENE. Cæterum, ne quispiam à suscipiendis Phialis præsentibus, earum forte grandiore mole, ne, inquam, à praxium præsentium vsu, longioribus earum Psalmis aut precationibus deterreatur; aduertat quæso, non sub aliquo præcepto eas in publicum prodire, sed Deo deuotarum voluntatum natiuę libertati earum sum-

subdi,

subdi, proinde cui & vbi libuerit, aliquid earum minuere licebit. Ad quod verbo viam aperio. Interiore fors susurro persuasus animus, stationarium te decernit, dum interea sacratiora, vel saltem ex bona ratione, vrgentiora negotia te sibi stricto iure aliquo vendicāt, nec tanto manumissionem tibi concedunt, quanto in sacris statiuis expedire posses, v. g. Primæ praxis toties cum sua Collecta iterandum Psalmum, aliosque Psalmos cum suis precationibus adscriptis singulis Altaribus? Tunc pro minore tempore, à negotijs te manutenētibus exceptione emendicata, excurre ad sacra statiua, & missis omnibus alijs, solis Dominicis Orationibus, & Angelicis salutationibus cum adscriptis precationibus, stationes absolue, atque sic ex te negotiorum vix depositis oculis, te iterato siste.

Cautela Altarium Visitatorib. In quo tamen vnumquemque non immemorē esse illius velim, quod S. Bonauentura in 4. Dist. 20. par. 2. Art. vnico, Quæst. 6. ait secundum quod plus, vel minus accedunt (scilicet deuotione sua, vti addit Layman lib. 5. Theolog. Moral. Tract. 7. C. 5.) homines ad causam, videlicet, indulgentiæ, plus vel minus participant de indulgentia. Cui doctrinę cum Nauarro, & Koningio subscribens citatus Layman loco supra signato docet: Posse fieri, vt quis non integram indulgentiam, quæ concedi-

tur

tur consequatur, si videlicet aliqui, magnam pro peccatis commissis pœnam debentes, opus iniunctum tepide ac minus vtiliter ad propositum finem peragant: ideoque causa tantæ remissionis ipsorum respectu deficiat. Quod ipsum non modice firmat Bonifacius VIII. in Extrau. 5. de pœnit. & remis. vbi postquam pro anno 1300. visitantibus Basilicas SS. Apostolorum Romæ plenissimam indulgentiam omnium peccatorũ concessisset; subiunxit: Vnusquisque autem plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotius frequentabit. Et hic contra acediam laboris stationarij plusquam ferreus cuneus esto. Iam verò præsentes Phialæ, vt eleuatiore pretio apud sacros Oratores veniant, eas Coronatas exhibeo, dum ex singulis praxibus (vltimam si demas, cui deforis septimam methodum aduocaui) singulas methodos, etiam extra visitationes Altarium vsui pro libito vniuscuiusque adhibendas, recitandæ Coronæ Beatissimæ Deiparæ MARIÆ contexo, sed & his aliquot praxes recitandæ Coronæ Saluatoris adnecto. Atque sic formatas, & adornatas animo demisso in manibus Deo deuotorum Oratorum iam nunc depono, pro minimo in illis formandis, quem posui, labore, præmium recepturus maximum, si tum mei peccatoris memoriam præsentem animis suis fecerint,

cum

cum eas coram Altissimo Principe deuoti suderint. In cuiusmodi voto sistens etiam calamum depono. Romæ ipso die S. Augustini Pontificis, & Confessoris Magni Sacrosanctæ Ecclesiæ Doctoris, Anno gratiæ 1647.

Tabulæ Indulgentiarum Almæ Vrbis Romæ septem Ecclesiarum.

DEbitum in proloquio contractum, vt exsoluam, promissas septem Vrbis Ecclesiarum tabulas Indulgentiarum, in lucem progredientibus praxibus ante pono, Non ex instituto aliquid singulare de summarijs ipsarum Indulgentiarum in lucem proferendo, sed ex accidenti clariorem lucem pro sequentibus ab ipsis mutuando. In quibus, vt nulli dubitationi, aut incertitudini locũ relinquerem, super dictarum indulgentiarum copijs tam ex ipsis Basilicis, quã ex alijs authoribus fideliter transumptis, & hic relatis, cum pluribus in Alma Vrbe viris doctis, & antiquitatum Romanarum studiosissimis, non raro contuli: sed nihil quod contra signata staret vidi, vel audiui. Etsi igitur ad manus sint mihi plures dictarum indulgentiarum copiæ, ex notioribus tamen (ne alia in dubia vocarentur) hic transumpta consigno, videlicet ex tabulis ipsarum Ecclesiarum quas solicite perquisiui, diligenter inuentas

NOTA BENE.

tas legi, & lectas fideliter discripsi; & præter alios authores Romæ impressos, ex Emmanuele Roderico, cuius etiam in hoc prudentiam multum collaudant Doctores celebris Academiæ Salmanticensis, quod nimirum Pontificum priuilegia partim confusa atque dispersa, partim ætate & temporum iniuria fermè dilapsa in vnum coacta suis locis aptè disposuerit ac consignarit, & quod in illis, testibus ijsdem Doctoribus, nihil à Sacræ Romanæ Ecclesiæ decretis alienum reperiatur. Primo igitur loco tabulas indulgentiarum, quas in ipsis Basilicis earum inueni, repono, & tum demum ex Emmanuele Roderico, & alijs authoribus in Alma Vrbe euulgatis omissa earum, per additiones suppleo, vbique summo studio præcauendo dubia & incerta.

Tom. 2. eiusdẽ operum Censura 1.

Eiusdẽ Tomi Censura 2.

Indulgentia Sacrosancta Eccl. Lateranensis.

Tabula Lateranen. Basilica.

PRimum Aræ maximæ, sunt quadraginta octo annorum Indulgentiæ, & totidem quadragenæ, & tertiæ partis omnium peccatorum remissio.

Insuper Cōstantinus Imperator, postquam purgatus fuit à lepra suscepto sancto Baptismate, sic allocutus est B. Syluestrum: En Pater domum meam elegi Ecclesiam Dei, effunde in hanc liberalē tuam benedictionem, vt omnes ad istam properantes ea fruantur. Tunc B Syluester ait illi: Christus Dominus, qui te à

lepra mundauit,& animum tuum Diuina gratia expurgauit, mundet lauetque omnes, qui hunc locum absque lethali crimine petunt: Et authoritate SS. Apostolorum Petri & Pauli, & nostra simul sit illis peccatorum omnium remissio.

Insuper Syluester Pontifex concessit sacello, cui nomen factum est Mortuorum, apud sacrarium dictæ Ecclesiæ; quod si quis dixerit sacrum in ara ibi collocata, extrahat e purgatorij pœnis animam vnam.

Insuper Bonifacius Nonus Pontifex dixit: Si quis venerit ad nostram Sedem Lateraneñ. precationis ergo, pietatis, aut peregrinationis, totus ab omni peccati sorde expietur.

Insuper in die festo sanctissimi Saluatoris, cuius Icon, cum S. Syluester dictã consecrauit Ecclesiam, tunc euidenter apparuit coram toto populo Romano ibi collecto: pro quo postea Nicolaus Quartus Pontifex, ad tantæ apparitionis memoriam collocãdam curauit eiusdem sanctiss. Saluatoris Iconem in muro, & loco, vbi ante apparuerat: quæ semper cerni potest, & coli debet ob peccatorũ quę ibi acquiritur, remissioné.

Insuper S. Gregorius Pontifex, qui hãc eandem Ecclesiam, post ipsi ab hæreticis importatam excisionem, & nouam restaurationem, consecrauit, indulgentiam confirmauit à B. Syluestro Pontifice supradicto expressam.

Insuper Prima è septē Ecclesijs Romanæ Vrbis est Ecclesia D. Ioannis Lateranen. quæ etiam prima est, caput, & Mater Ecclesiarum totius mundi, quæ habet quotidie quamplurimas indulgentias.

Insuper prima Dominica Quadragesimæ statio habetur in Ecclesia Lateranensi, & plenaria omnium peccatorum remissio.

Insuper Dominica Palmarum ibi quoque habetur statio, & omnium peccatorum remissio.

Insuper die Cœnæ Domini habetur in eadem Ecclesia Lateranensi indulgētia plenaria omnium peccatorum.

Insuper Sabbatho sancto statio habetur in eadem Ecclesia Lateranensi, & plena omnium peccatorum remissio.

Insuper Sabbato in Albis ibi statio habetur, in qua quamplurimæ sunt indulgentiæ.

Insuper à die sexta mensis Maij vsque ad decimam quintam Augusti habentur in eadem Ecclesiam quamplurimæ indulgentiæ.

Insuper in peruigilio Pentecostes ibi habetur statio, & quamplurimæ sunt indulgentiæ.

Insuper in peruigilio S Ioannis Baptistæ à primis vesperis vsque ad Solis occasum consequentis diei plenaria habetur indulgentia.

Insuper die Transfigurationis Domini

ni nostri IESV Christi habentur in ipsa Ecclesia quamplurimæ indulgentiæ.

Plenariam hic exprimit liber de Mirab. Romæ.

Insuper die Decollationis D. Ioannis Baptistæ, quamplurimæ habentur indulgentiæ.

Insuper Quinta Nouembris die festo Dedicationis Ecclesiæ ipsius sanctissimi Saluatoris nostri habetur statio cum omnium peccatorum remissione.

Insuper die D. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, statio quoque habetur nec desiderantur quamplurimæ indulgẽtiæ.

Insuper in sacello D. Ioannis Baptistæ, qui dicitur in Fonte, vbi Constantinus Imperator salutari aqua aspersus est, & in quod ob loci sanctitatem numquã ingrediuntur mulieres, quotidie acquiritur omnium peccatorum remissio.

Insuper in sacello D. Laurentij, quod vocatur Sancta Sãctorum, vera seruatur Icon sanctissimi Saluatoris diuinitus depicta, in quo multæ sunt, & pretiosæ Sanctorum reliquię, & in ipsum quoque sacellum maxima loci sanctitate fœminis numquam ingredi licet, quamplurimæ, & infinitæ habentur indulgentiæ, sicut indicant locata ibi carmina. Si circumibis totum terrarum Orbem, nullus in vniuerso mundo sanctior locus extat.

Insuper in Sacello D. Thomæ, apud maximam dictæ Ecclesiæ ianuam Oriẽtem versus, locatur Arca veteris testamẽti, vna cũ Moisis virga, & Aaronis, & simul quoque cum magna mensa, in qua

Christus Dominus, vna cum suis Discipulis die iouis hebdomadæ Sanctæ cænauit, multæ habentur indulgentiæ. Insuper qui deuote Scalam, quæ dicitur Sancta, & 28. gradus habet, flexis genibus scandet, quam D. Helena Imperatrix Hierosolyma, ex domo Pilati, traducendam curauit, & quam Christus Dominus tempore suæ passionis ascendit, eaque eius sacratissimo sanguine à persa fuit, acquirit septem indulgentiæ annos singulos ascendendo gradus.

Insuper Innocentius Pontifex dixit: Adeo magnæ, & infinitæ sunt indulgentiæ Lateranensis Ecclesiæ, vt numerari nequaquam possint, nisi à solo Deo, quas omnes egomet confirmo, &c.

ADDITIO.

Ex Emmanuel. Roder. & alijs impres. in Vrb.

PRæter expressas dicta tabula indulgentias, inuenio alias apud Emmanuelem Rodericum.

Ianuarij. In die SS. Vincentij, & Anastasij quadraginta millia annorũ indulg.

In die S. Agnetis secundo, & ipso festo remissio omnium peccatorum.

Maij. Ab Apparitione S. Michaelis ad Kalendas Augusti quotidie tres plenariæ indulgentiæ.

Iunij. In die S. Pauli Põtificis, & Confess. septem millia annorum indulgẽtiæ.

In die SS. Ioannis, & Pauli, mille anni indulgentiæ.

Iulij. In Octaua S. Ioannis Baptistæ, plenaria indulgentia.

In die S. Alexij Confessoris, plenaria indulgentia, & mille anni.

In die S. Apollinaris Mart. centum anni.

Augusti. In die S. Bartholomæi, plenaria remissio omnium peccatorum, & septem millia annorum indulgentiæ.

In die Decollationis S. Ioannis Baptistæ, indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum. Item centum anni, & tot quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Settembris. In die SS. Euphemiæ, Luciæ, & Gemniani, mille anni.

Decembris. In festo S. Ioannis Euangelistæ, indulgentia plenaria.

In festo S. Syluestri Papæ, indulgentia plenaria, & 10000 annorũ. Præterea Libri de Mirabil. Rom. testantur. in dicta Ecclesia omni die esse 648. & totidẽ quadragenarum indulgentiam, & remissionem tertiæ partis peccatorum.

Indulgentiæ Basilicæ S. Petri de Vrbe, seu in Vaticano.

IN hac Ecclesia, vt ex alijs signat Rodericus, omni die sunt indulgentiæ quadraginta octo anni, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum, quæ in festis duplicibus duplicantur. Præterea in festo Annunciationis B. MARIÆ Virginis, sunt mille anni indulgentiæ. Et à prædicto festo, vsque ad Kalend. Augusti, sunt ibidem duode-

Lib. de Mirab. Romæ impreſ. ab an. 1625. & an. 1641.

cim millia annorum indulgentiæ, & totidem quadragenę, & remiſſio tertię partis omnium peccatorum. Addit Archangelus Ballottinus, quod in eadem Baſilica ſit quotidie plenaria indulgentia. Quod ipſum in libris de Mirabilibus Romæ ſignanter attribuitur Capellæ Sixti Quarti. Aliæ autem indulgentiæ cum ſtationibus huius Eccleſiæ exprimuntur in Bulla ſuper his emanata Nicolai IV. cuius fragmen opuſculo ſuo de ſeptem Vrbis Eccleſiis annexuit M. Attilius Serranus, quod eſt talis tenoris.

Hanc itaque Sacroſanctam Baſilicam, nonnulli prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, cupientes à Christi fidelibus eo libentius, & deuotius viſitari, quo fideles Chriſti per hoc potiori dono gratiæ ſe refectos ſentirent, ſalubiter prouiderunt, quod eandem Baſilicam venerabiliter viſitantes, amplam ſuorum aſſequerentur veniam peccatorum. Nam ſicut ad nos tam ex ſcriptis antiquis in Baſilica ipſa repertis, quam ex ſeniorum Canonicorum eiuſdem Baſilicæ peruenit, prędicti Prædeceſſores omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ad pręfatam Eccleſiam accedentibus reuerenter, videlicet in Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Cathedræ ipſius S. Petri, Annunciationis B. MARIÆ Virginis, Aſcẽſionis Domini, & eiuſdem S. Petri, ac Beati Pauli Apoſtoli, & Dedicationis prædictæ, ac ipſius Sancti Pauli Baſili-

silicarum, festiuitatibus, ac per octo dies eiusdem festiuitatis Epiphaniæ, & ipsorum Apostolorum, & Dedicationem Basilicarum earundē immediate sequentes, & quolibet die ab ipsa festiuitate dictæ Ascensionis vsque ad octauas festi Pentecostes, nec non in die Dominica qua cantatur: Gaudete, & in Quinquagesima, ac de passione diebus Dominicis, & Anniuersarijs cōsecrationis maioris Altaris dictæ Basilicæ, & Cœnæ Domini, & Parasceue, ac Litaniarum maiorum diebus, ac etiam die Lunæ post Pascha; septem annorum, & septem quadragenarum. Et ab octauis Pentecostes hinc ad festum ipsius B. Petri, & ab Octauis eiusdem festi B. Petri vsque ad Kalendas Augusti, die quolibet trium annorum, & trium quadragenarum. Visitantibus autem ipsam à principio quadragesimæ vsque ad festum Paschæ, quolibet die & ipso festo, nec non in Festiuitatibus Natiuitatis, Purificationis, & Assumptionis prædictæ B. MARIÆ Virginis, Dedicationis, & Apparitionis S. Michaelis Archangeli, Sanctorum Andreæ, Thomæ, Ioannis Euangelistæ, Conuersionis prædicti S. Pauli, ac Matthiæ, Iacobi, Bartholomæi, Matthæi, Lucæ, Simonis, & Iudæ, Nicolai, Luciæ, Stephani, Syluestri, Octauæ Natiuitatis Domini. S. Gregorij, S. Longini, Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis, S. Petronillæ, SS. Ioannis, & Pauli,

S. Leonis, SS. Processi, & Martiniani, S. Alexij, s. Mariæ Magdalenæ, s Laurentij, s. Ægidij, Omnium Sanctorum, Dedicationis Basilicæ Saluatoris, Consecrationis Altaris S. MARIÆ de Cancellis in ipsa Ecclesia constructi, quæ VIII. Idus Octobris occurrit, nec non omnibus diebus quatuor temporum, vnius anni, & quadraginta dierum. Et reliquis anni diebus, quadraginta dierum remissionis suorum peccaminum concesserunt. Nos igitur qui præfatæ Basilicę honoris ac decoris augmentum, præcipue ob reuerentiam prædicti B. Petri Apostolorum Principis, cuius nos, licet immeritos, Diuina dispositio, esse voluit successores, totis desiderijs affectamus præfatas remissiones, à prædictis Prædecessoribus sic concessas, ratas, & gratas habemus, illas auctoritate Apostolica approbamus: vt Christi fideles ad ipsam Basilicam venientes, reddantur de acquirendis talibus remissionibus certiores; omnibus vere pœnitentibus, & confessis, in singulis festiuitatibus atque diebus prædictis, quibus ipsi Basilicam ipsam dicti Principis Apostolorum personaliter visitabunt, de omnipotẽtis Dei misericordia, & eorumdem Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, de nouo remissiones hujusmodi misericorditer elargimur.

Quas indulgentias, qui secuti sunt Põtifices, Bonifacius VIII. Clemens VI.

Vrbanus VI. Nicolaus V. & alij Papæ confirmarũt,& auxerunt. Et Paulus IV. teste Honuphrio Panuino dixit: Omnes indulgentias Ecclesiarum Almę Vrbis simul vnitas haberi in Basilica Vaticana.

ADDITIO.

QVantum sanctæ Basilicæ huius auxerint alij Pontifices indulgentias, patet ex sequentibus, quæ addo ex Emmanuele Roderico. *Tom.2 quæst. regul. pag.90*

In die Epiphaniæ, & eius Octaua, plenaria indulgentia.

In ostensione Veronicæ est plenaria indulgentia, & Romani septem millia annorum. Vltramontani 14000. annorum, & totidem quadragenas, & remissionem tertiæ partis peccatorum. *A 1.*

In Cathedra S. Petri, indulgentia plenaria, & aliæ. *A 2.*

In die s. Gregorij, mille anni, & plenaria indulgentia. *A 3.*

In die s. Benedicti, centũ anni,& alię.

In Ascensione Domini, plenaria indulgentia, & aliæ. *A 5.*

In festo ss. Corporis Christi, plenaria indulgentia.

In die s. Petronillæ, mille anni, & totidem quadragenæ.

In die ss. Marcellini, Petri,& Erasmi, mille anni indulg. *A 6.*

In die s. Barnabæ, sexcenti anni indulgentia.

In die s. Leonis Papæ, mille anni, & totidem quadrag.

In die ss. Petri, & Pauli, plenaria indulgentia, & aliæ.

A 7. In die s. Bonauenturæ, plenaria indulgentia, & aliæ.

In diuisione Apostolorum, duo millia annorum indulg.

In die s. Praxedis, duo millia annorum indulg.

A 8. In die s. Petri ad vincula, & per octo sequentes dies, plenaria indulgentia, & aliæ.

In Assumptione, plures indulg.

A 10. In die ss. Simonis, & Iudæ Apostolorum, plenaria, & aliæ multæ indulg.

A 11. In Octaua Omnium Sanctorum, plenaria remissio peccatorum.

In Dedicatione Basilicæ Principis Apostolorum, plenaria indulgentia, & multæ aliæ.

In festo Clementis Papæ, & Mart. plenaria indulg. & aliæ.

In die s. Andreæ Apostoli, plenaria indulgentia, & aliæ.

A 12. In die s. Sabbæ, centum anni.

In festo s. Ambrosii Episcopi, plenaria indulgentia, & mille anni.

In libro de Mirabilibus Almæ Vrbis Romæ impresso ibidem An. 1625. legitur, quod in eadem Basilica Vaticana stationes sint in die Epiphaniæ, Dominica prima Quadragesimæ, Feria secunda, seu die Lunæ Paschatis. In die Ascen-

sionis Domini. Et in die s. Pentecostes, Sabbatis omnium quatuor temporum. Et Dominica tertia Aduentus. In festo Corporis Christi. Et in Cathedra s. Petri, & in his omnibus indulgentia plenaria. Dñica autem Quinquagesimæ quod sit plenaria indulgentia, & octodecim millia annorũ, & totidem quadragenæ.

Indulgentiæ Basilicæ S. Pauli.

HAS, ex tabula indulgentiarum, & reliquiarum eiusdem Ecclesiæ, quã ipsemet vidi, legi diligenter, & trãscripsi, hic fideliter consigno.

Sacratissimæ Basilicæ S. Pauli extra Vrbem Indulgentiæ.

QVotidie Indulgentia annorum sex millium quadraginta octo, & totidem quadragenæ, remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

In die Natiuitatis Domini, plenaria remissio.

In die Resurrectionis Domini, plenaria remissio.

In festo Omnium Sanctorum, plenaria remissio.

In festo Dedicationis Ecclesiæ, quæ incidit in decimã octauam Nouembris, indulgentia annorum centum, & totidem quadragenæ, & plenaria remissio omnium peccatorum.

In die Cõuersionis s. Pauli, indulgẽtia

annorum centum, & totidem quadragenæ, & plenaria remissio omnium peccatorum.

In Commemoratione s. Pauli, indulgentia annorum centum, & totidem quadragenæ, & plenaria remissio omnium peccatorum.

In festo Apostolorum, plenaria remissio omnium peccatorum.

Ad altare vbi inuentum fuit caput sãcti Pauli, indulgentia annorum octodecim, & remissio tertiæ partis peccatorũ.

Ad vnumquodque ex septem altaribus priuilegiatis, indulgentia annorum octodecim quotidie.

In singulis Festiuitatibus B. MARIÆ Virginis, indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum.

In festo s. Antonij, indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum.

In festo s. Scholasticæ virginis, indulgentia plenaria.

In festo S. P. N. Benedicti Abbatis indulgentia plenaria.

In festo s. Vrbani, indulgẽtia plenaria.

In festo s. Martini, indulg. plenaria.

Visitantibus Ecclesiam per annum singulis Dominicis diebus, indulgentiæ Terræ Sanctæ, vel s. Iacobi de Galitia.

Martinus V. & Eugenius IV. confirmarunt omnes, & singulas indulgentias.

Nicolaus Papa IV. confirmauit omnes, & singulas indulgentias, & insuper concessit singulis anni diebus, annũ vnũ,

& quadraginta dies. A Dominica prima Aduentus ad primam Dominicam post Octauam Epiphaniæ, & à Dominica sexagesimæ vsque ad Octauam Paschæ, tres annos, & totidem quadragenas. In Festiuitatibus B. MARIÆ Virginis, videlicet Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis. In festiuitatibus s. Crucis. Apostolorum, & Euangelistarum. ss. Innocētum. ss. Timothei, Celsi, Iuliani, & Basilissæ. In Dedicatione altaris eiusdem s. Timothei. In Dedicatione Basilicæ s. Saluatoris. In singulis diebus in quibus est statio in prædicta Basilica duos annos, & duas quadragenas. Hæc omnia ex supradicta tabula, quæ autem sequuntur, ex Emmanuele Roderico, Tom. 2. Q. 90.

ADDITIO.

IN die ss. Nerei, Pancratij, & Achillei, centum anni. Q. 90. A 5.

In die ss. Viti, Modesti, & Crescentiæ, centum anni, & tot quadragen. A 6.

In festo s. Thomæ Apostoli, trecenti anni, & plenaria indulgentia. A 12.

In festo s. Ioannis Euangelistæ, centum anni indulgentiæ, & liberatio vnius animæ e purgatorio.

In festo ss. Innocentum, indulgentia plenaria, & quadraginta anni, & totidem quadragenæ, & aliæ indulgentiæ.

Stationes in supradicta tabula signatæ sunt.

In festo ss. Innocentum.
Dominica sexagesimæ.
Feria quarta post quartam Dominicã Quadragesimæ.
Feria tertia Resurrectionis.

Indulgentia Ecclesiæ S. Mariæ Maioris.

HAs aureis litteris in duabus tab[illegible] musiuo opere expressas, est videre in dicta Ecclesia ab vtraque parte eiusdem altaris maioris. Quas ego proprio scripto diligenter adnotatas, hic fideliter consigno.

Ad hanc sacram Basilicam omnibus deuote venientibus à felic. record. Nicolao Papa IV. in scripto indulgentiæ sunt concessæ, & innouatæ.

Prima tabula. In primis singulis diebus vnus annus, & vna quadragena.

Item singulis diebus Lunæ, & Mercurij, & Sabbathi centum dies.

Item in Quadrag. s. Martini singulis diebus tres anni, & tres quadragenæ.

Item in Natiuitate Domini, vsque ad Octauam duodecim anni, & duodecim quadragenæ.

Item ab Octaua Natiuitatis, vsque ad Epiphaniam, 8. anni, & 8. quadragenæ. Ab Epiphania vsq; ad Octauam 12. anni, & 12. quadrag. Item ab Octaua Epiphaniç vsque ad Purificationem 5. anni, & 5. quadrag. Itẽ in Purificatione B.Ma-

riæ Virginis 12. anni, & 12. quadragenæ. A Dominica 70. ad 40. duo anni & duæ quadragenæ. Item in Quadragesima singulis diebus tres anni, & tres quadrag. Item in festo s. Matthiæ, 10. anni, & 10. quadrag. Et in Octaua eius 6. anni, & 6. quadrag. Item in Annunciatione B. Mariæ Virg. 10. anni & 10. quadragen. Item in Resurrectione Domini, & vsque ad Octauam 12. anni, & 12. quadrag. Ab Octaua Resurrectionis vsque ad Ascensionem duo anni, & duæ quadrag. Item in Ascensione, & vsque ad Octauã 6. anni, & 6. quadrag. Item ab Octaua vsque ad Pentecosten duo anni, & duæ quadrag. Item in Pentecoste vsque ad Octauam 6. anni, & 6. quadrag. Item in festo Niuis, & vsque ad Octauam 14. anni, & 14. quadrag. Item ab Octaua festi Niuis vsque ad Assumptionem B. Mariæ Virginis 8. anni, & 8. quadrag. In Assumptione vsque ad Octauam 12. anni, & 12. quadrag. Item ab Octaua Assumptionis vsque ad Natiuitatem Virginis 8. anni, & 8. quadragenæ. Item in Natiuitate Virginis vsque ad Octauã 12. anni, & 12. quadrag. In festo omnium Apostolorum, & Euangelistarum, s. Laurentij, s. Hieronymi duo anni, & duæ quadragenæ. In festis s. Crucis tres anni, & tres quadrag. Item singulis diebus Sabbathi, vnus annus, & vna quadragena. Item singulis diebus Lunæ, Mercurij, & Sabbathi ad Præsepe vnus

Alterius tabula.

annus,

annus, & vna quadrag. Singulis stationibus ipsius Basilicæ, quæ sunt omnibus diebus Mercurij quatuor temporum, in prima Dominica Aduentus. Vigilia Natiuitatis Domini, & quarta feria hebdomadæ maioris 9. anni, & 9 quadrag.

Et hæ ex dictis desumptæ tabulis ab vno Pontifice Summo dictæ Basilicæ sūt concessæ gratiæ cœlestes. Cæterum alij quoque Summi Pontifices siue antecedentes dictum siue subsequentes quātum eidem s. Basilicæ sacram liberalitatem suam probauerint, sequentia, ex Roderico desumpta, sub oculos ponunt.

Tom 2. q. 2. q. 89 A. 4.

ADDITIO.

Hic quoque cit. lib. de Mirab. Rom. dicūt omni die esse indulgentiā 6048. ann. & totidem quarāt. A 5.

In hac Ecclesia, ait citatus author, omni die sunt quadraginta octo anni indulgentiarum, & tot quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum, &c. Præterea:

Ianuarij. In die Epiphaniæ est remissio omnium peccatorum.

In die s. Antonij Abbatis, remissio tertiæ partis peccatorum.

In die s. Agnetis, remissio omnium peccatorum, & 200. anni, & quotidie per Octauam, mille anni indulgentiæ.

Febr. In die s. Matthiæ Apostoli, plenaria indulgentia, & aliæ.

Mart. In die s. Ioseph. Confess. indulgentia plenaria.

In Annunciat. B. Mariæ Virginis, plenaria

naria indulgentia, & aliæ.

Maij. In die ss. Philippi, & Iacobi, plenaria indulgentia, & aliæ.

In die s. Ioannis ante Portam Latinã, indulgentia liberationis vnius animæ ex purgatorio.

Iulij. In die s. Mariæ Magdalenæ, plenaria indulgentia, & centum anni.

In die s. Christinæ virginis, & Mart. quadraginta anni.

In die s. Annæ Matris Deiparæ, indulgentia plenaria.

In die s. Pantaleonis Mart. quadraginta anni.

Augusti In festo Portiunculæ, indulgentia plenaria.

In festo s. Mariæ ad Niues, indulgentia plenaria.

In Assumptione B. MARIÆ Virginis plenaria indulgentia, & multæ aliæ.

In die s. Augustini, mille anni.

Septembr In die s. Adriani, ducenti anni indulgentiæ. A 9.

In die s. Michaelis Archangeli, plenaria indulgentia, & aliæ.

In die s. Hieronymi, plenaria indulgentia, & multæ aliæ.

Octob. In die s. Lucæ Euangelistæ, plenaria indulgentia, & aliæ. A 10.

Nouemb. In Cõmemoratione omnium fidelium defunctorum, & per octo sequentes dies, plenaria indulg. & aliæ. A 11.

In Præsentatione B. Mariæ Virginis, indulg. plenar. & remissio omniũ peccat.

In

In die s. Chrysogoni, mille anni indulgentiæ.

In festo s. Catharinæ virg. & Mart. mille anni indulgentiæ.

12. *Decemb.* In festo s. Bibianæ Virg. & Mart. octo millia annorum indulgentiæ.

In Quatuor temporibus, quadraginta anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorũ.

In Natiuitate Domini nostri IESV Christi, indulgentia plenaria in qualibet trium Missarum, & multæ aliæ.

In festo s. Ioannis, multæ indulgentiæ, & liberatio vnius animæ ex purgatorio.

Indulgentiæ Ecclesiæ S. Laurentij extra muros.

IN hac Ecclesia in primis, quod attinet ad indulgentias, cernitur in Frõtispicio sepulchri ss. Laurentij, & aliorum, huiusmodi inscriptio: *Hoc sub fornice tumulata iacent Corpora SS. Stephani Protomartyris, Laurentij Diaconi, & Iustini Presbyteri & Martyris, vbi est quotidie, à Summis Pontificibus concessa indulgentia plenaria.* Alia quoque subscriptio cernitur, supposita duabus imaginibus Crucifixi D. N. IESV Christi, quarum vna videtur in ambitu Australi, ipsius Ecclesiæ, & habet ex altera parte lapidem in quo primò depositum fuit Corpus sancti Laurentij mortui susceptum è Crate

ferrea

ferrea: altera autem ex opposito prioris, quarum vtraque habet subscriptionem huiusmodi; *Quisquis deuoto, ac contrito corde accedit ad istam Crucem, & ad alteram; plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam consequitur.* Præterea non longe à supradicto sepulchro appēsa tabula, sequens transumptum cōtinet.

IN hac venerabili Ecclesia quotidie sunt quadraginta octo anni indulgentiarum, & tot quadragenæ, & remissio omnium peccatorum.

In hac Eccl. esse omni die 748 ann. cū totidem quarāt. indulg. testant. Lib. de Mirab. Rom.

Item hic est lapis super quem positus fuit B. Laurentius postquam assatus, & mortuus fuit.

Item in festiuitatibus sanctorum Stephani Protomartyris, & Laurentij, quorum corpora hic requiescūt, & per octauas eorum sunt anni indulgentiarum, & tot quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum ab antiquo cōcessa; sed felix memoria Callisti Tertij Pontificis Maximi, concessit omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus hanc Ecclesiam deuote visitantibus in omnibus Festiuitatibus, & stationibus eiusdem, plenariam remissionem omnium peccatorum, &c.

Porro errorem in dicta tabula, qui deprehendet, memor sit regulæ illius; Quod vtile per inutile non vitietur: & meum quod non fuerit, illam emendare. Cuius tamen defectus additione sequēti supplentur.

ADDITIO.

Roder. q. 89. A 5. Omni feria quarta per annum est liberatio vnius animæ ex purgatorio.

Q 90. A 8. In Inuentione s. Stephani, plenaria indulgentia.

A 9. In die s. Matthæi, plenaria indulgentia, & 130. anni.

A 12. In die s. Stephani, plenaria indulgentia, item centum anni, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum, & aliæ.

Dominica Septuagesimæ, plures indulgentiæ, & liberatio vnius animæ ex Purgatorio.

Dominica tertia Quadragesimæ, plures indulgentiæ, & liberatio vnius animę ex Purgatorio.

Feria quinta Pentecostes, plures indulgentiæ, & liberatio animæ è Purgat.

Indulgentiæ S. Sebastiani Ecclesiæ.

Q 89. A 6. In hac Ecclesia, vt testatur sæpe citatus Rodericus, præter quadraginta octo annos quotidianæ indulgentiæ totidemque quadragenas, & remissionem tertiæ partis peccatorum, sunt quotidie mille anni indulgentiæ, dati à Pelagio Papa. Et ad Catacumbas, vbi etiam multo tẽpore ss. Petri, & Pauli Apostolorum corpora iacuisse, præter histo-

riarum

riarum Ecclesiasticarum authoritatem, testatur inscriptio in pariete ibidem expressa, ad illas, inquam, Catacumbas sũt tales indulgentiæ quales in Ecclesijs Apostolorum Petri, & Pauli. Cui etiam Syluester, Gregorius, Honorius, Nicolaus, & Ioannes Summi Pontifices, quilibet illorum, mille annos indulgentiæ concessit, quocũque tempore anni eandem Ecclesiam visitantibus. Eius Cryptarum, quæ vocantur Cœmeterium Callisti, indulgentias exprimit, præter alias sequens inscriptio, ex eadem Ecclesia transumpta;

Hic est Cœmeterium Beati Callisti Papæ, & Martyris inclyti. Quicumque illud contritus, & confessus ingressus fuerit, plenam remissionem omnium peccatorum suorum obtinebit, per merita gloriosa centum septuaginta quatuor millium Sanctorum Martyrum, quorum ibi corpora in pace sepulta sunt, vna cum quadraginta sex Summis Pontificibus Beatis. Qui omnes ex magna tribulatione venerunt; & vt hæredes in domo Domini fierent, mortis supplicium pro Christi nomine pertulerunt.

ADDITIO.

IN die s. Felicis in Pincis, mille anni indulgentiæ. Roder. q. 90. A 1.

In die ss. Fabiani, & Sebastiani, plenaria indulgentia, & aliæ.

In die Cyri, & Ioanni, remissio tertiæ partis peccatorum.

Omni-

A 5. Omnibus diebus Dominicis in mense Maio, plenaria indulgentia, & aliæ.

A 7. In die ss. Simplicij, & Faustini, quinque millia annorum.

A 8. In die ss. Cyriaci, Largi, & Smaragdi, mille anni.

A 9. In die s. Eustachij, centum quadraginta anni.

A 11. In die ss. Cosmæ, & Damiani, septem annorum indulgentia.

In die ss. Triphonis, & sociorum, plures indulgentiæ.

In die s. Martini Episcopi, trecenti anni, & totidem quadragenæ.

In die s. Saturnini Martyris, centum anni indulgentiæ.

Indulgentia Ecclesia S. Crucis in Hierusalē.

HArum exhibet summarium, tabula in eadem Ecclesia, non longe ab Altari maiore, seu ss. Martyrum Anastasij, & Cæsarij sepulchro, appensa. Cuius transumptum est hoc.

Ista sunt Indulgentia Ecclesia S. Crucis in Hierusalem.

PRimo, Vltima Dominica mensis Ianuarij, in memoriam Inuentionis Tituli sanctæ Crucis, est indulgentia plenaria, & remissio omnium peccatorum; vt patet in Bulla S. D. N. Nicolai VI. Et in die Dedicationis Ecclesiæ,

quæ

quæ celebratur 20. die mensis Maij, est indulgentia, & remissio omnium peccatorum: & in illo die tantum mulieres possunt ingredi Capellam sanctam. Item in dicta Capella sunt quotidie 27. anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ, quæ incipiunt feria quarta ante Dominicam de Passione, & durant per integrum annum.

Item Dominica quarta Quadragesimæ, est remissio omnium peccatorum, & liberatio vnius animæ à Purgatorio.

Item feria sexta in Parasceue, est indulgentia à pœna, & culpa, & remissio omnium peccatorum.

In vtraque solemnitate s. Crucis, & per octauas earum est indulgentia, & remissio omnium peccatorum.

Item in omnibus diebus Dominicis totius anni, sunt trecenti anni, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Omni die sunt in dicta Ecclesia anni quadraginta octo veræ indulgentiæ, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Gregorius quoque XIV. Anno Domini 1591. omnibus Ecclesijs Ordinis Cisterciēn. in die Festiuitatis s. Bernardi à primis vesperis vsque ad occasum solis eiusdem festiuitatis, Monachis, & alijs Personis Regularibus dicti Ordinis, perpetuo: ac etiam omnibus Christi fidelibus, per decennium, vere pœnitentibus, confessis, & sacra Communione

re fectis

refectis, plenariam omnium peccatorū suorum indulgentiam concessit.

Item si quis per annum, integrum visitauerit dictam Ecclesiam sanctæ Crucis, omni feria sexta, scilicet die Veneris, in forma Ecclesiæ lucrabitur indulgentiam à pœna, & à culpa indulto sancti Syluestri Papæ concesso, quando cōsecrauit dictam Ecclesiam, deinde confirmato per alios Summos Pontifices.

ADDITIO.

Roder. Quæst. 90. A 7. 8. IN die s. Margarita V. & M. centū anni. In die ss. Nazarij, Celsi, & Victoris Mart. trecenti anni.

In die s. Claræ Virg. centum anni.

A 11. In festo s. Elisabeth filiæ Regis Vngariæ, centum anni.

In die s. Felicitatis Mart quadraginta anni indulgentiæ.

A 12. In festo s. Barbaræ Virg. & Martyris, mille anni indulgentiæ.

In festo s. Nicolai, trecenti anni, & tot quadragenæ, & plenaria indulgētia.

Lib. de Mirab. Romæ. Dominica secunda Aduentus est plenaria indulgentia.

In Capella, quæ dicitur s. Helenæ quotidie est plenaria indulgentia.

Item omni die sunt in eadem Ecclesia anni sex millia quadraginta octo indulgentiæ, & totidem quarantanæ, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Et hæc omnia de Indulgentijs consignata, non dubito inclytis Romanis esse notis-

notissima: cum non solum ocul s deuotis earum summaria in principalioribus Basilicis Almæ Vrbis quotidie lustrent, verum etiam pijs manibus sæpe tractent multorum authorum ex præsenti materia non sine ingenio, & arte elaborata opera. Sed dent quæso veniam, quod hanc eorum salutarem scientiam, quam apud ipsos ex pluribus Authoribus per plura opuscula sparsam, sine fictione didici, etiam piis Vltramontanis, & Deo deuotis, sub vno, sine inuidia communicem. Hoc enim, nec minimum Romanorum minuit thesauro s sapientiæ, sed potius tradita illis à D o talenta multiplicat, & Vltramontanorum fidei, ac religionis non modica augmenta apparat, ad quos & varius, & pauciores authores in præsenti materia perueniunt, & qui animo gratiore, & deuotione feruentiore ea amplexantur, ab omnis pietatis, & religionis probatissima magistra, Roma, quæ ad se deferuntur.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

In Dedic. pro ille vnus, lege, illi vnus. In Præfat. vbi bis impressum cum Deo, alterum delendum. Ibid. pro lut, lege, velut. Ibid. susurro, lege, susurrio. Pro Seu, lege, Ceu, in allegatione Basilicarū.

Pag. 27. vers. 2. Psalmi pro super aqua, lege, supra aquam. pag. 46. vers. 25. pro libuerint, lege, libuerit. pag. 95. vers. 30. pro lequeis, lege, laqueis. pag. 108. pro Christus Dominus in cruce pro crucifixoribus suis orat. lege, Memoria Christi Domini in cruce pro suis crucifixoribus orationis. pag. 158. pro Animi vita, lege, Animi vota. pag. 169. vers. 27. pro toto anno, lege, totidemque quadragenarum. pag. 185. vers. 24. pro infirmitate, lege, iniquitate. pag. 189. vers. 25. pro Exempla, lege, Exemplar. Omissa. Pag. 46. post titulum, Ceu ad S. Ioannem in Laterano. pag. 162. v. 10 Pater noster.

Præter adnotatos errores, fortè multò plures depræhēdes quisquis eris Deo deuotus Orator. Cum enim ex Typographia præsens opusculum exire ob certas rationes festinarit, non mirum si in plura, minutiora saltem, errata impegerit, cum & circa illud suam retineat veritatem illa sententia, quod qui festinat, offendat. Cæterum omnes illius huiusmodi, defectus supplere, amicæ vniuscumque prudentiæ, minime spero fore laboriosum.

DE

DE INDVLGENTIIS ECCLESIASTICIS

DOCTRINA SVMMARIA.

NON hic contra ex aduerso stantes sacris indulgentijs, pugnacem aciem instruo: sed ex approbatis authoribus, indulgentialium doctrinarum demessum manipulum, sacrosanctæ Romano-Catholicæ Ecclesiæ doctrinis sacra, & secura credulitate incubantibus, demissus suppono: Neque contra oppugnatores earundem, Catholicæ veritatis super omnia fortissimæ arma assumo; sed super debitis suis coram Iustitia Dei vindice contra se reseruatis, indolentibus, lenimentum, ex peritissimorum animi Doctorum præscriptis deuotus offero. Sed neque ad altiores eleuatiorum ingeniorum in præsenti speculationes calamum eleuo: verùm in plano eundem continens, planas & magis vulgares sententias de illis, ad planiorem præmissorum intelligentiam, fideliter consigno. Quas in compendio sine vtilitatis dispendio vt transmittam, communia de illis quæsita, an videlicet, Quid, Quotuplices, Vnde, Propter quid indulgentiæ sint, per breuissimos paragraphos dispertior.

§. I. *An & vnde sit in Ecclesia Potestas concedendi Indulgentias.*

Trid. sess. 21. de ref. CERTVM est apud Catholicos esse in Ecclesia Dei militante potestatem concedendi Indulgentias, quas Tridentinum cœlestes thesauros appellat, quibus remittantur fidelibus pœnæ post culpas remissas coram Deo remanentes. Ordinarijs siquidem absolutionibus sacramentalibus, solæ peccatorum culpæ remittuntur, vt indubitatum manet apud Christo fideles, pœnis, quæ debentur sic remissis culpis remanentibus hic vel in purgatorio luendis. Et ad has indulgentialiter remittendas Christus Dominus Ecclesiæ suæ dictam potestatem promiserat, vt cum *Suarez. tom. 4. in 3 p. disp. 49. sex. 1. vers. 9.* Suario communiter docent Doctores, Matthæi 16. vbi Petro claues regni cœlorum promittens inter cætera ait: Et quodcunque solueris super terram, erit solutũ, & in cœlis, &c. Quæ verba cum sint vniuersalissima, atque adeo vi & amplitudine sua omnem includant actum, qui ad aperiendum regnum cœlorum possit esse accommodatus: ideo non solum includunt potestatem soluendi ab obligationibus vel præceptis: verum etiam, comprehendunt potestatem absoluendi ab omnibus vinculis ac impedimentis, quibus non sublatis, non potest intrari regnum cœlorum. Inter quæ

non

non modicum vinculum ac impedimentum eiusdem regni ingressus, est reatus pœnæ temporalis: proinde, eius liberalis remissionis & condonationis actus, non immerito intelligitur, sub prædicta potestate comprehendi; præsertim firmante huiusmodi intelligentiam Traditione Sacrosanctæ Romano-Catholicæ Ecclesiæ; quæ legum & sacræ Scripturæ est optima interpres. Iam vero hanc eandem potestatem Christus Dominus Petro & eius successoribus Ioannis 21. contulit, dicens: Pasce oues meas. Quibus verbis, includitur omnis actus iurisdictionis, qui ad aperiendum vel claudendum cœlũ potest conferre. Iam vero vnus ex actibus, quo cœlũ aperitur, est cõcessio indulgentiæ: & hanc doctrinã, *Suarez* præter alios, tenẽt Suarez, Nugnez, Henriquez & Bonacina hic punct. 5. prop. 1. *l. c. N.* *17.*

Nec quicquam mouet Catholicos, expressam mentionem indulgentiarum nullam inueniri apud antiquos Patres tam Græcos quam Latinos: quia huius mentionis nullam necessitatem habuerunt, siue ad persuadendum, siue ad fidem defendẽdam; vtpote ipsorum temporibus necdum e sathanæ cerebro osoribus indulgentiarum enatis. Et quia Christianæ disciplinæ rigor, pœnitentiæque feruor, qui tunc magis vigebat; vsum indulgentiarum rarius admittebãt. Agendo vero ijdem Patres de potestate data Ecclesiæ sanctæ ligandi at-

que soluendi: eadem sua doctrina indulgentialem potestatem coprehenderunt.

Cuius potestatis vsum, ab ipsis Apostolis acceptum, in continuata summorum Pastorum suorum successione, sacrosanctam Ecclesiam semper retinuisse, præter experientiam testes sunt, Concil. Nicænũ Can. 11. Carthaginen. 4. cap. 75. Neocæsarien. cap. 3. Agaten. cap. 60. Laodicen. Can. 1. & 2. Constantien. Seff. 18. 15. & 41. & denique Trident. Seff. vlt. Ad quem etiam probandum exempli loco adduci solet D. Paulus Apostolus, qui 2. Corinth. 2. dum ait: Nam & ego quod donaui; si quid donaui, propter vos, in persona Christi: dicitur indulgentiam concessisse, alicuius partis, incestuoso illi, quem prius grauiter puniuerat, & necdum tamen plene satisfecerat. Vnde S. Paulus, tum ex misericordia, ne abundantiori tristitia absorberetur, tum ob intercessionem Corinthiorum pro illo, liberali (vti hic aduertunt Chrysost. Theophil. Ambros. & alij interpretes) remissione & condonatione eidem pœnam vlteriorem debitam indulsit, per potestatem a Christo Domino datam: vti ipse S. Paulus satis declarauit, dum adiecit: quod in persona Christi donauit.

§. II. *Quid sit & vnde Indulgentia.*

INdulgentia nihil aliud est, quam relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro

pro peccatis actualibus, iam dimissis, concessa homini, in gratia existenti, a Prælato Ecclesiæ, per applicationem thesauri Ecclesiastici. Ita ex alijs Bonacina. Vnde habetur primo, Per Indulgétiam nullam remitti culpam venialem, aut mortalem: quia alias Indulgentia esset Sacramentum, ex opere operato (sicut Theologi loquuntur) remittens peccatum, quod a sensu Catholicorũ est alienissimũ. Et quod ex dicto sequitur, nullam quoque pœnam æternam per Indulgentiam remitti, quia hæc vinculo indissolubili culpæ mortali alligatur, qua permanente, permanet.

Habetur secundo, Originali peccato nihil omnino suffragari Indulgentiam. Hoc enim sacro fonte baptismatis diluitur quoad culpam & pœnam, quæ est sola pœna damni in sola carentia visionis beatificæ consistens: iam vero per Indulgentiam pœna sensus condonatur, quæ solis actualibus peccatis debetur. Tertio, homini in statu peccati mortalis permanenti, nihil prodesse Indulgentiam: quia talis cum sit inimicus Dei, indignus censetur tali relaxatione. Quarto, a nullo priuato, sed a solis Prælatis Ecclesiæ posse concedi Indulgentiam: quia ab his solis pendet distributio thesauri Ecclesiastici; per cuius applicationem Indulgentiæ conferuntur.

Porro thesaurus Ecclesiasticus est cumulus quidam & coaceruatio merito-

ram tum Christi Domini, tum Sanctorum ipsismet exuberantium satisfactionum. Cum enim in omni opere bono hominis iusti duo inueniantur: in primis meritum, & hoc non potest applicari, cum hoc sit ipsius Christi Domini singulare priuilegium, tum deinde satisfactio, quæ alteri potest applicari. Innumeri autem Sancti innocentissima & rigidissima vita sua, plures multo satisfactiones coacervarũt, quam ipsi indiguerunt; omnes illæ superexcedentes satisfactiones, remanent in thesauro Ecclesiæ, pro voluntate eius dispensatorum ac Prælatorum, alijs applicandæ, sicut bona ciuium sine hærede decedentium Reip. adscribuntur. Et huiusmodi thesauri copia superexcedit omnes omnium hominum pœnas, actualibus eorum peccatis debita: cum ipsius Christi Domini sanguinis tantus sit valor, vt illius vna gutta queat delere omnia mundi peccata. Atque ex hoc sacratissimo & refertissimo penu, gratiæ Indulgentiarum Christo fidelibus conceduntur. Ex quo dum osores Indulgentiarum, præsumptione sua diuites & locupletes & quasi nullius egentes, mendicare dedignantur, innumeris debitis peccatorum suorum a vindicatiua Dei Iustitia, veluti catenis circumligati, miseri & miserabiles, pauperes, cœci & nudi, in tenebras exteriores ad fletum & dentium stridorem æternaliter proijciuntur.

§. *III. Quis*

§. III. *Quis dispensator Indulgentiarum.*

QVod attinet ad potestatem Indulgentias concedendi: hæc primario residet in summo Pontifice: tum quia D. Petro & eius successoribus primario hæc fuit data potestas: tum quia potestas distribuendi bona publica principaliter conuenit summo Principi & vniuersali Ecclesiæ Gubernatori, qui est summus Pontifex. Iam vero eadem potestas secundario competit Episcopis; & in tantum, in quantum eam accipiunt a summo Pontifice. A quo sicut limitatam, quoad absolutionem & reseruationem, potestatem in subditos accipiunt: ita etiam ab eodem quoad Indulgentiarum concessionem restrictã habent. Quæ tamen potestas in Episcopis non est delegata sed ordinaria, quia ex institutione & ordinatione Ecclesiæ per se coniuncta est muneri Episcopali, vnde ex vi Episcopatus eis confertur teste Suarez. Proinde Episcopus facultatem concedendi Indulgentias potest nõ solum Vicario suo, verum etiam cuiuis Clerico demandare, cum iuris ordinarij facultas, ex communi sententia Doctorum teste Bonacina possit delegari, quãdo in contrarium nulla emanat prohibitio.

Suarez l. vlt. §. 1. n. 13.

§. IV. *An concessio Indulgentiæ debeat causam habere.*

QVia summus Pontifex Ecclesiastici thesauri dispensator tantum ac distributor est, & non dominus: ideo non pro suo libitu, sed iuxta voluntatem eius Domini, qui est Christus cum sanctis suis, illum potest dispensare. Vnde dicitur in cap. Vnigenitus de pœnit. & remiss. thesaurum Indulgentiarum concessum esse Ecclesiæ à Christo, dispensandum per summum Pontificem proprijs & rationabilib⁹ de causis. Hinc ad concedendam Indulgentiam, vt solidam habeat valoris certitudinem, requiritur causa: quæ potest contineri in quolibet actu pio, ex quo aliqua Ecclesiæ vtilitas, & gloria Dei redundet, siue ille sit interior siue exterior: siue ab eo exerceatur, qui consequitur Indulgentias, siue ab alio, vt fit in Indulgentijs, per modum suffragij defunctis solitis applicari. Communiter autem iustæ causæ Indulgentiæ concedendæ censentur esse: quiuis honor Dei, vtilitas Ecclesiæ, & bonum siue priuatum, siue publicum. Posse autem in quouis opere pio etiam minimo v. g. in vnica recitatione Dominicę orationis aut salutationis Angelicæ, inueniri iustam causam Indulgentiæ, etiam plenariæ, concedendæ, multi docent Doctores citati a

Bona-

Bonacina: tum ex ea, præter alias, ratione; quod frustra essent Indulgentiæ si ad ipsarum consecutionem æquiualens opus requireretur. Nõ desunt tamẽ Doctores, quos citat & sequitur Suarez, qui ad valorem Indulgẽtiæ, in causa illarum, prçter pietatem, & honestatem requiri docent proportionem, seu aliquã æqualitatem inter concessam indulgentiam & opus iniunctum, quæ tamen æqualitas non semper ex re ipsa sit sumẽda: sed prout cadit sub electionem prudentem dispensantis, vt docet Corduba cum alijs quos citat. Quam etiam docet Suarez consistere in sola prudenti æstimatione morali, illius proportionis, quæ inter media & finem debet obseruari: ita vt illa causa censeatur adæquata concedendæ Indulgentiæ, ad quam obtinendam vel procurandam hic & nunc, pensatis omnibus circumstantijs concessio talis Indulgentiæ, prudenter existimatur medium proportionatum & conueniens. Sicut autem proportio medij ad finem habet latitudinem, boni, melioris, & optimi, quæ sub honestam, & rationabilem electionem cadunt, ita proportio causæ Indulgentiæ eiusque concessio similem latitudinem habet. Vnde fieri potest vt maior & minor Indulgentia, propter eandem causam concessa, æque valida sit, quia contineri possunt in prçdicta latitudine, si non sit nimius excessus. Hçc piùs, &

Bonac. prop. 3. punct. 4. n. 5.

Suarez loc. cit. disput. 53. s. 3 n. 5. & seq.

Corduba de Indulg c. 6. & 22.

doctus Suarius. Cuius doctrinam in præsenti materia non modice firmat illud, quod vni iniuncto operi præter Indulgentiam plenariam non raro etiam concedatur alia partialis, v. g. tot dierum, annorum, &c. Quod vel in tabulis supra consignatis Indulgentiarum sæpe est videre. Vt si, inquit, Rodericus causa Indulgentiæ plenariæ insufficiens fuerit, lucretur illos dies, annos, quadragenas is cui talis bulla conceditur. Quando autem dubitatur an summus Pontifex habuerit iustam causam talem, vel talem concedendi Indulgentiam, censendus est iustam habuisse: quia in facto Principis præsumitur causa, saltem quando non vergit in præiudicium tertij vt ex alijs docet Bonacina hic Punct. 4. num. 7.

Emmanuel Roder. To. 2. q. 86. Ar. 3.

§. V. *Quoduplex est Indulgentia.*

INdulgentia alia est per modum absolutionis: alia per modum suffragij, quam Doctor Angelicus secundario & indirecte docet concedi. Priori supra est data definitio. Posteriori talem inter alias dat Corduba. Est dispensatio seu communicatio thesauri Indulgentiarum, authoritatiue facta per Ecclesiæ Prælatum, pendens quoad suum fructum, seu effectum remissionis pœnarum, a sola libera & gratuita acceptatione Dei. Et hæc a priore per hoc in

primis

primis differt; quod illa sit absolutio a pœna per modum iudiciariæ potestatis, hęc per modum auxilij, proinde illa sit actus iurisdictionis, hęc non item. Differt & in hoc; quod prioris effectus sit infallibilis, dummodo desint impedimēta siue in concedente siue in suscipiente: posterioris autem effectus a gratuita Dei acceptatione pendeat, iuxta D. Thomam citatum a Roderico, quem cum pluribus alijs, & ipse & Bonacina hic Quęst. 2. Punct. 1. num. 3. sequuntur. *To. 2. q. 97. ar. 2.* Quod ipsum sic accipiendum est: quia nimirum, stante lege, non necessario ex iustitia legis, Deus prędictam communicationem thesauri Ecclesiæ, quoad totum fructum, pro eo cui conceditur, acceptet; sed partim ex iustitia, partim ex liberalitate & gratia. Et quidem aliqua parte ex iustitia; quia omne suffragium Ecclesiasticum, de quorum nobilissimis esse Indulgentias defunctorum D. Bonauentura testatur: omnisque satisfactio, quomodocunque, & pro quocunque, maxime si fiat pro alio, habet apud Deum valorem, speraturque eius acceptatio. *D. Bonau. in 4. dist. 20.* Quia vero non quoad totum fructum semper acquiritur seu acceptatur, vel inde patet: quia ex nullo Scripturæ loco potest euidenter ostendi, quod Deus promiserit se acceptaturum satisfactoria suffragia, quoad totum fructum suum, pro alio quocunque: sed fieri suasit & iussit in spe suæ misericor-

Roder. l. c. q. 97. ar. 2. Bonac. l. c. pun. 1. n. 3. diæ & liberalitatis, vt docent Rodericus & Bonacina, qui pro hac eadem senten-tia inter alios citant D. Thomam in 4. Dist. 46. Quęst. 6. Artic. 2. Sed hac Indulgentia nunc missa. Ad priorem redeamus, quam diuidunt in Totalem & Partialem, hac diuisione accepta ex Clementina 6. in Extrauag. Vnigenitus De Pœnit. & remiss. vbi dicitur, Thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicanda. Totalis Indulgentia illa dicitur, qua tota remittitur pœna ei, cui applicatur. Partialis autem illa est, qua pars tantum pœnæ remittitur. Et hanc quidam Doctores Temporalem vocant, illam vero Plenariam. Partialis deinde subdiuiditur in Carenam, Quadragenam & Septenam. Quæ vt melius intelligantur,

Aduertendum est. In primitiua Ecclesia, pro vno peccato mortali, iniungi solitas fuisse pœnitẽtias plurium dierum, mensium, & annorum. Et pro minoribus quidem peccatis mortalibus, communiter iniungebatur pœnitentia in primis quadraginta dierum ieiunij in pane & aqua, & sequestrationis a communi fidelium consortio, cum alijs pręscribi solitis corporis macerationibus. Dein his expletis, iniungebantur sequẽtes septem anni pœnitentiæ continuandæ pro eodem peccato, cum illis morti-

tificationibus,quas Confessor pro ratione delicti præscribebat. Pro enormioribus autem peccatis mortalibus pluriũ quam septem annorum pœnitentię imponebantur, vt videre est in Canonibus Pœnitentialibus, vbi inter alia habetur: Interfector domini vel vxoris nunquã equitet, nec vehiculo vehatur, nec contrahat matrimonium vsque ad decem annos, carnes non comedat, nec vinum bibat, & alia quę habentur 33. quęst. 2. admonere,&c. Quicunque de Diuortio. C. 1. Et illud: Sacerdos mortuum pallijs altaris inuoluens, pœniteat decem annis & quinque mensibus. De Conf. Dist. 5. Nemo. Et illud: Solemniter pœnitens, postea ad vomitum rediens, decem annis pœniteat. De Pœnit. Dist. 5. si quæ vero. Et secundum hæc Carena dicebatur illa pœnitentia, qua quis pro peccato suo iubebatur carere & communi consortio hominum, & communi cibo; sed in pane & aqua per dies quadraginta ieiunare,& his expletis per sequentes annos septem in pœnitentia continua secundum sibi datum præscriptum, manere cogebatur. Quadragena autem vocabatur illa pœnitentia, qua alicui per dies quadraginta pœnitentia iniungebatur. Similiter Septena qua quis ex iniuncto per septẽ annos iuxta præscriptum Canonum Pœnitentialium pœnitebat.

Quando igitur in Bullis conceditur

In-

Indulgentia Carenæ, Quadragenæ, aut Septenæ, dicunt Doctores & cum eis Bonacina hic Punct. 2. num. 2. non intelligi, per huiusmodi Indulgentiam remitti pœnas, quas luere debuerat peccator in purgatorio quadraginta diebus, aut annis septem; sed debere intelligi: hominem qui tales Indulgentias consequitur, obtinere tantam remissionem pœnæ, quantam obtinuisset, si tot diebus aut annis pœnitentiam, iuxta præscriptum Canonum Pœnitentialium egisset. Quod etiam solet ex illo probari; quod communiter non dicatur in Bullis: Relaxamus tot annos pœnæ; sed pœnitentiæ.

Totalem Indulgẽtiam partiri quidam volunt in Plenam, Pleniorem, & Plenissimam, ita vt solam vltimam dicant esse Totalem simpliciter & absolute. Duas vero priores, tantum secundum quid totales, nimirum in ordine, vel ad peccata mortalia, vel ad peccata confessa, vel ad iniunctas aut iniungendas pœnitentias secundum ordinarium Ecclesiæ vsum. Sed communior est Doctorum sententia, nullam esse differentiam inter illas Indulgentias quoad proprium & per se effectum Indulgentiæ vt sic. Si enim plenaria Indulgentia, sine omni limitatione concessa omnem pœnam residuam de peccatis remissis quoad culpam, tam mortalibus quam venialibus, tam confessis quam non confessis, pœniten-

Suarez t. 1. disp. 50. 54. nu. 1.

nitentiam iniunctam habentibus, vel nō habentibus, remittat; nullus restabit effectus per pleniorem, aut plenissimam Indulgentiam producendus. Forma igitur illa concedendi Indulgentias adhibita fuit ad tollendos scrupulos, qui ex varijs opinionibus oriri poterant, non ad aliquam earum Indulgentiarum differentiam denotandam. Quando autem Bonifacius VIII. in Extrauag. Antiquorum de Pœnit. & Remiss. ait: Non solum plenam, largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum: vt ait Suarez loc. cit. non quia in remissione, vel priuatione pœnæ magis aliquid efficiat, sed quia maiorem, vel maximam habet causam, quæ de effectu Indulgentiæ fidem potest reddere certiorem.

Iubilæus autem per hoc differt a totali seu plenaria Indulgentia, quod in eo concedatur facultas eligendi quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum, qui potest ex priuilegio Iubilæi a casibus reseruatis & censuris absoluere, votaque commutare, excepto Castitatis & Religionis voto.

§. VI. *Quæ requirantur in susceptore Indulgentiarum.*

QVod attinet ad susceptorem Indulgentiæ, quæ est per modum absolutionis, In primis debet esse viator: cum huius-

huiusmodi Indulgentiæ concessio sit actus iurisdictionis, qui in non viatores exerceri nequit. Debet item esse Fidelis: quia & infideles non baptizati sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ, & infideles baptizati cum per fidem non sint vniti Ecclesiæ, qua primario eius mēbra sibi vniuntur, non habent partem in communione sanctorum, a qua Indulgentiæ habentur. Et ob hanc quoque rationem plures ex Doctoribus negant excommunicatum fidelem, esse participem Indulgentiarum, eo quod ex vi excommunicationis, vt ait Bonacina, priuetur communione Sanctorum. Debet quoque susceptor harum Indulgentiarum esse in gratia, quia non remissa culpa, non remittitur pœna, & secundum regulam iuris in 6. venia non datur nisi emendato. Non tamen omnino est necesse, vt dum opera præscripta ad consequendam Indulgentiam exercet, toto illo tempore sit in gratia: sed sufficit, vt sic se habeat in vltimo opere præstando, quo posito conceditur Indulgentia, quia opus quod præscribitur ad consequendam Indulgentiam, nō necessario esse debet satisfactorium, aut applicare Indulgentias: sed est conditio, qua posita, Summus Pontifex applicat Indulgentias. Qui etiam non solet præcipere, vt illa opera fiant in gratia: cum, etiam a peccatore exercita, possint esse vtilia in ordine ad finem intentum

nonne. hic Punct. 5.

tentum in concessione Indulgētiæ: cum posſint excitare ad pietatem & deuotionem,& ad id obtinendum,quod summus Pontifex ab eo obtineri intendit. Et hanc doctrinam esse plurium Doctorum testatur Bonacina loc. cit. num. 10. Illa tamen opera in statu peccati exercita, non ex se, sed quatenus coniunguntur cum vltimo opere in gratia præstito, habent sufficientiam ad applicanda merita & satisfactiones Christi Domini, & eius Sanctorum. Adhuc autem necesse est, vt ea omnia præstentur,quæ à concedente Indulgentiam præscribuntur: cum illa omnia sint conditiones,sine quibus non acquiritur Indulgentia. Sacramentalis autem Confeſsio tunc tantum necessaria erit, quando illa in Bulla concedentis Indulgentiam expresse præcipitur: cuius si nulla mentio fiat, satis erit per contritionem recuperare gratiam, cum proposito confeſsionis. Qui autem omittit aliquem actum ex præscriptis, quem probabiliter putat non necessarium ad consequendam Indulgentiam, qui tamen reipsa necessarius est, hic non consequitur Indulgentiam: quia non satisfacit præscriptæ cōditioni. Iam vero implens conditiones ad consequendas Indulgentias vno eodemque tempore, diuersis actibus potest consequi plures Indulgentias, si vterque actus simul subsistere potest, v. g. audire Missam & recitare horas Canonicas.

nicas. Probabile autem censet Bonacina vno & eodem actu non posse lucrari Indulgentias, diuersis vijs concessas v.g. si habeat quis plura grana benedicta diuersis benedictionibus, & in singulis benedictionibus concessus sit annus Indulgentiæ dicenti orationem Dominicam; hic per recitationem vnicam Orationis Dominicæ, non censetur omnium granorum annos Indulgentiæ consequi: quia intentio concedentis videtur requirere pro singulis Indulgentijs actus singulos, & singula opera vt præstentur. Plura vero grana habens eiusdem Indulgentiæ, illius consequitur Indulgentiam, ad quod determinat intentionem: quæ determinatio si non fuerit, ratione omnium simul lucratur eandem quantitatem Indulgentiæ. Si etiam Indulgentia sit concessa absque determinatione temporis, toties eam vno eodemque die potest lucrari, quoties præstabitur opus præscriptum ad eandem consequendam, vt docet Bonacina hic num. 32. Iam vero non est necesse, vt sit in gratia exercens præscriptum opus ad consequendam Indulgentiam per modum suffragij pro defuncto: quia nec ipse satisfacit pro defuncto, nec ei applicat Indulgentiam; sed tantum ponit præscriptum opus, quo posito Summus Pontifex applicat Indulgentiam, & per eam satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum. Tantum autem prodest In-

dulgen-

dulgentia applicata defuncto, quantum prodesset accipienti, quia Indulgentia tantum valet quantum sonat, dummodo sic acceptetur a Deo, vt ab homine oratore animæ applicatur. Hoc si quidem est in Dei potestate, qui non tantum in Dispensatore requirit iustam causam concedendæ Indulgentiæ, verum etiam in anima satispatiente dignitatem eiusmodi applicationis. Nam vt S. Augustinus ait: Specialia suffragia facta pro aliquibus, illis tantum prosunt, qui cum viuerent, hæc, sibi vt postea possent prodesse, meruerunt. Et S. Gregorius Lib. 4. Dialog. C. 39. In purgatorio, inquit, quisque purgationis obtinebit, nisi hoc bonis operibus in hac vita positus, vt illic habeat, promereatur. Cuiusmodi dignitas præcipue acquiritur per deuotionem specialem ad claues Ecclesiæ donatiuas Indulgentiarum, per solicitudinem satisfaciendi pro peccatis proprijs, per misericordiã ad alios ac studium suffragandi defunctis, tum per feruorem charitatis aliaque bona opera supererogatoria, meritoria ac satisfactoria. Quæ impedimenta ad percipiendum totum fructum Indulgentiæ applicatæ, (totum, inquam, quia semper aliquam partem ex Indulgentijs applicatis illa anima, cui applicantur, consequitur) quia in anima satis patiente viatoribus communiter ignota sunt, ideo pro consulto habent, plures Indulgentias

tias eidem animæ applicare, vt si vnius vel etiam alterius fructum, siue ex indignitate sua, siue etiam ex defectu contingente in concedente, aut accipiente Indulgentiam pro defuncto, non percipiat, saltem plurium particeps, tandem adæquet mensuram debitis suis præstitutam à Dei Iustitia vindicante.

Fiunt autem certiores animæ purgatorij per Angelos de suffragijs pro se oblatis: quæ etiam non immemores beneficij, pro suscipientibus nomine sui Indulgentias, Deum exorant, & hoc non solum iam admissæ ad gloriam beatam, verum etiam adhuc in purgatorio commorantes, quarum supplices libellos grate suscipit Deus, cum & ipsæ offerentes eos sint Deo gratæ & amabiles, iamque certo inscriptæ Christi Domini cohæredes mox futuræ. Et tametsi certo iam nobis constaret eas, pro quibus Indulgentias suscipimus, iam è Purgatorio ad cælum euolasse; adhuc tamen non in vacuum pro ijs bona opera frequentaremus, & si iam non pro earum eliberatione, sed propter alia commoda inde prouenientia, quorum quinque numerat Rodericus, è quibus illa
Tom. 4. q. 94. ar. 4. præcipua videtur, quod ex tali actu charitatis, quo suscipitur frequentius Indulgentia pro defuncto, amplior fructus prouenit ipsis viuentibus, & quia suffragia facta pro vno defuncto, etiam alijs animabus purgatorij proficiunt. Deni-

que

que ipsi defuncto iam in cœlo exiſtenti pro quo fiunt talia bona, ex illis accedit gaudium accidentalis gloriæ, & inde ipſe defunctus prouocatur, ex virtute gratitudinis ad orandum pro ſibi ſuffragantibus, ſeu nomine ſuo illa bona opera Deo offerentibus.

§. VII. *Quantum valeant, & quamdiu durent Indulgentiæ.*

TAntum Iudulgentiæ valent, quantum ſonant; alias enim a mendacio non excuſaretur, qui diceret; tantum per indulgentiam pœnam remitti, quantum Bullis exprimitur. Earum conceſsio præſertim in dubijs, & quando propria verborum ſignificatio ſtrictiorem expoſitionem non poſtulat, late eſt explicanda, & quantum verborum ſenſus patitur. Cum enim illarum conceſſio ſit fauor pendens a voluntate ſuperioris habentis poteſtatem eam concedendi, late explicandus eſt, ſicut omnes alij fauores & beneficia Principum, quantum fieri poteſt ſine præiudicio tertij. Ex quo etiam principio Rodericus loc. cit. docet, quod in conceſsione Priuilegij, vt vna Miſſa in certo altari dicta, anima, pro qua offertur, liberetur a purgatorio; ſi expreſſe non indicatur, vt illa Miſſa ſit de Requiem; ſufficiat ad præfatam Indulgentiam impetrandam quæcunque Miſſa, ſiue illa ſit de defun-

ctis,

ctis, siue de feria, siue etiam de quocunque Sancto.

Denique tam diu durant Indulgentiæ, quamdiu concedens eas durare voluerit: & hæ enim gratiæ, sicut omnes similes aliæ, a voluntate concedentis pendent, eiusque voluntatem verbis expressam non excedunt, cum actus agentium, vltra ipsorum intentionem non operentur.

Et hæc, ad simplicium intellectuum in præsenti materia depellendam ignorantiam, ijsdem attemperato calamo consignasse sufficiant.

PRIMA PHIALA

Seu Prima Praxis visitandi Septem Altaria Priuilegiata per septem gaudiosa vitæ D.N. IESV CHRISTI Mysteria deducta.

AD PRIMVM ALTARE,

Seu ad S. Ioannem in Laterano.

Memoria Incarnationis Domini Nostri IESV CHRISTI.

Gratiarum actio.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri,&c.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri,&c.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est the-

thesaurus: maiestati tuæ pro collatis donis Sacrosanctæ Ecclesiæ tuæ gratias agimus: tuam clementiam exorantes, vt qui petenti desiderata concedis, eandem non deserens ad præmia futura disponas. Per Christum, &c.

Psalmus 84.

BEnedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: & in eos, qui conuertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.

Etenim

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos. Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Rex Gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis vtraque vnum Domine IESV Christe, qui in principio & ante sæcula Deus eras Verbum, quod in tempore pro nobis Caro factum es, per æterni Patris contentationem, quam in sua æternitate habet ex tua Incarnatione & omnibus decoribus ac meritis, sacrosanctæ humanitatis tuæ.

Quæ sequuntur ad singula septem altaria repetantur.

PEr merita sanctissimæ Virginis Matris tuæ MARIÆ, & beatorum Apostolorum tuorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum tuorum, præcipue vero horum, quorum in hoc Altari reliquiæ & imagines habentur, tuæ supplico maiestati, vt sanctam Ecclesiam tuam pacificare, coadunare, regere & in omnibus exaltare, atque ab ea hæreses, schismata & discordias longe propulsare: & a me peccatore omnem ignorantiam & mentis cæcitatem, omnem malitiam voluntatis & carnis concupiscentiam, omnem ad bonum languorem & infirmitatem auferre, veniam autem peccatorum cum indulgentia demeritorum & tandem finalem in bo-

rio-perseuerantiam mihi donare digneris Saluator meus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Aue Maria, &c.

O Super benedictas mulieres, benedicta Virgo MARIA Mater Saluatoris admirabilis; per gratiam, quam inuenisti in oblata maternitate Dei, & per gaudium, quod habuisti ex annunciatione Incarnationis Filij Dei, & per amabilitatem eius, quem Angelo nunciante, & sancto Spiritu obumbrante virgo concepisti.

Quæ sequuntur ad singula altaria repetantur.

ROgo digneris agere gratias Deo meo pro hæresum ac schismatum extirpatione, concordia Principum, & Sanctæ Ecclesiæ exaltatione: simulque rogare eundem Filium tuum, vt eandem etiam nunc regat, coadunet, pacificet & exaltet: mihi vero concessa venia peccatorum, & indulgentia demeritorum, per merita vitæ, passionis, & mortis suæ te intercedéte donet, vt sacrosanctæ humanitatis eius vestigijs semper inhærés, inque omnibus eius diuinis gratijs morem gerés atque ad omnem voluntatem eius paratum cor meum exhibens, totis animæ, & corporis sensibus in eum feram, totum me eidem in omnibus offeram, ipsumque solum inquiram, & inueniam: ac tandem tuis meritis & preci-

bus

bus ad eiusdem cælestes nuptias introducar, ibique eidem beatifice vniar: Amen.

AD SECVNDVM ALTARE.

Seu ad S. Petrum in Vrbe.

Memoria Sanctæ Elisabethæ à Sanctissima Virgine MARIA Visitationis.

Gratiarum actio ea qua fuit ad primum Altare.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.
Super aqua refectionis educauit me: animam meam conuertit.
Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum.
Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.
Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.
Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.
Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus est!
Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.
Et vt inhabitem in Domo domini, in lon-

gitudinem dierum. Gloria Patri, & Filio, &c. Pater noster, &c.

O Clauis Dauid, & sceptrum domus Israel, qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit: qui vinctum educis de domo carceris sedentem in tenebris, & vmbra mortis IESV CHRISTE: per amorem, & misericordiam, qua Virginem matrem tuam ad visitãdum Elisabeth incitasti; vt in sacratissimo Tabernaculo Virgineo adhuc clausus residens Ioannem sanctificares, & totam domum Zachariæ cœlestibus donis repleres. Per merita eiusdem sanctissimæ Virginis Matris tuæ, & beatorum, &c. *vt supra ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O Sanctum Sanctorum, & tale vnicum Tabernaculum Dei in hominibus, gloria Hierusalem, & lætitia Israel Deipara Virgo MARIA, per gaudia, & exultationes in Visitatione Elisabeth a te expertas; & per amabilitatem Viri illius, quem tunc ò admirabilis fæmina virgineo vtero circũdedisti, rogo digneris agere gratias, &c. *vt supra hic ad primum Altare.*

AD TERTIVM ALTARE,
Seu ad Sanctum Paulum.

Memoria Natiuitatis Domini Nostri IESV CHRISTI.

Gratiarũ actio, vt supra ad primũ Altar.

Psal-

Psalmus 96.

DOminus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.
Nubes, & caligo in circuitu eius: iustitia, & iudicium correctio sedis eius.
Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.
Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra.
Montes, sicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.
Annunciauerunt cæli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.
Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis.
Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.
Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine:
Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.
Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.
Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.
Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Adonai, & dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ apparuisti,

& ei in Sina legem dedisti: atque ad redimendum nos in brachio extento, natus ex intemerata Virgine MARIA in mundum venisti. Per contentationem æterni Patris, quam in natiuitate tua habuit; per gaudia, & exultationes ex eadem sanctorum Angelorum tuorum; per gratulationes, & amorosas gratiarum actiones pro eadem Natiuitate sanctorum Patriarcharum; per gaudia & merita Sanctissimæ Virginis matris, & beatorum, &c. *vt supra ad primũ Altare.* Aue Maria, &c.

O Suauissima, & salutifera virga Iesse radicis, intemerata Deipara Virgo MARIA, de qua nobis natus est flos campi, & lilium conuallium, IESVS CHRISTVS Redemptor noster. Te, ò admirabilis Virgo Mater per dulcissimi eiusdem puelluli amabilitatem, quem integra tua virginitate peperisti, pannis inuoluisti, in præsepio reclinasti, & lacte virgineo pauisti, rogo digneris, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

AD QVARTVM ALTARE.

Seu ad sanctam Mariam Maiorem.

Memoria Adorationis Domini Nostri IESV CHRISTI à tribus Regibus.

Gratiarum actio, vt supra ad primũ Altare.

Psalmus 71.

DEus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis:

Iudi-

Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.
Suscipiant montes pacem populo: & colles iustitiam.
Iudicabit pauperes populi & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.
Et permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione & generationem.
Descendet sicut pluuia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.
Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.
Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.
Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.
Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent:
Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes seruient ei:
Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adiutor.
Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.
Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.
Et viuet. & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.
Et erit firmamentum in terra in summis

montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.
Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes Gentes magnificabũt eum.
Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus:
Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. Gloria Patri, &c.
Pater noster, &c.

O Radix Iesse qui stas in signum populorum, super quem Reges continent os suum, & quem gentes deprecantur IESV CHRISTE, qui nobis ex Virgine natus, nobis a Deo Patre in Saluatorem datus, necdum voce humana Patrem, & Matrem tuam vocans, fasciolis tuis fortem animarum nostrarum prædatorem alligasti, & spolia eius abstulisti, dum tres Reges gentiles stella cœlesti ad te traxisti ac perduxisti: & cum honore diuino aurum, thus, & myrrham ab eis suscepisti, & his muneribus signata fide ipsorum, omnes gentes, ò amabilissime sponse animarum, tibi subarrhasti. Per misericordiam, & in his tuam effusam in nos charitatem. Per merita Sanctissimæ Virginis, &c. *vt supra ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O Cœlum animatum Dominum vniuersorum sustinens Virgo Mater

MA-

MARIA omnium sanctorum Regina Augustissima: per gaudium quod habuisti, quando tres Reges Filium tuum adorauerunt, & pretiosis ac mysticis muneribus eum honorauerunt: per eiusdem gloriam, & amabilitatem rogo digneris, &c. *vt supra ad primum Altare*.

AD QVINTVM ALTARE,

Seu ad S. Laurentium extra muros.

Memoria IESV CHRISTI Domini Nostri in templo oblationis.

Gratiarum actio, vt supra ad primum Altare.

Psalmus 83.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.
Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.
Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.
Altaria tua Domine virtutũ: Rex meus, & Deus meus.
Beati qui habitant in Domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.
Beatus vir, cuius est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit.
Etenim benedictionem dabit legislator,

ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.
Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui:
Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia.
Elegi abiectus esse in Domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.
Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Emmanuel Rex, & legifer noster, expectatio gentium, & Saluator earum IESV CHRISTE offerens, & oblatio pro peccatis nostris: per humilitatem Virginis Matris tuæ, qua se legi purificationis subiecit; ac per eiusdem charitatem, qua te primogenitum in adoptatis fratribus, & vnigenitum Patris æterni eidem in Templo in sacrificiũ matutinum obtulit; per acceptationem eiusdem Patris æterni, qua te oblatum sibi acceptauit; per gaudia iusti Simeonis, & Annæ Prophetissæ, quibus in amoroso tui complexu perfusi fuerunt; & in his per gaudia Virginis Matris tuæ,

quæ

quæ ex mirabilibus tunc de te prædicatis habuit; per merita beatorum Apostolorum, &c. *vt supra ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O Immaculata, impolluta, incorrupta, purissima, & sanctissima Virgo Deipara MARIA, per gloriam, quam nunc in cœlo habes pro illa humilitate, qua te legi purificationis subiecisti, per gaudia, quibus tunc perfusa fuisti, quando dilectissimũ Filium tuum in Templo obtulisti, & mira de illo prędicari à sancto Simeone, & Anna prophetissa audiuisti; per amabilitatem quoque eiusdem dulcissimi Filij tui, rogo digneris, &c. *vt supra ad primum Altar.*

AD SEXTVM ALTARE,

Seu ad SS. Fabianum, & Sebastianum.

Memoria Domini Nostri IESV CHRISTI inter Doctores in Templo inuentionis.

Gratiarum actiones, vt supra ad primum Altare.

Psalmus 28.

AFferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum:]
Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.
Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.
Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.
Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.
Vox Domini intercidentis flammam ignis: Vox Domini concutientis desertum: & commouebit Dominus desertum Cades.
Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.
Dominus diluuium inhabitare facit; & sedebit Dominus rex in æternum.
Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Sapientia quæ ex ore altissimi prodijsti, attingens a fine vsque ad finem fortiter, suauiterque omnia disponens, & sola docens viam prudentiæ, per humilitatem tuam, qua inter Doctores, in templo, humillime quærens, & diuinè respondens sedisti; atque a parentibus requisitus, & inter eos inuentus, ad vocem intemeratæ Genitricis tuæ Doctores reliquisti, & parenti ac Ioseph te subiecisti, per complacentiam Patris æterni quam habuit ex illa humilitate

litate tua, qua inter homines ad trigesimum annum incognitus vixisti; & per earum virtutum apud eundem Patrem tuum merita, quas per illud tempus elicuisti: per merita quoque sanctissimæ Virginis Matris tuæ Mariæ, &c. *vt supra ad primum Altare.*
Aue Maria, &c.]

O Aurea domus & admirabilis mater æternæ Sapientiæ Virgo MARIA, per gaudium tuum, quod habuisti, quando amabilissimum Filium tuum in Hierusalem relictum, post triduum inter Doctores interrogantem eos & audientem in templo læta inuenisti; & per diuinissimas illuminationes illas, & consolationes, quas per triginta annos cum solo conuersando sola habuisti; ac denique per eiusdem dulcissimi Filij tui amabilitatem, rogo digneris, &c. *vt supra ad primum Altare.*

AD SEPTIMVM ALTARE,

Seu ad S. Crucem in Hierusalem.

Memoria IESV CHRISTI in Cana Galilææ manifestationis.

Gratiarum actio, vt ad primum Altare.

Canticum Isaiæ 12.

CONfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor

ror tuus, & consolatus es me.
Ecce Deus Saluator meus: fiducialiter agam, & non timebo.
Quia fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.
Haurietis aquas in gaudio de fontis Saluatoris: & dicetis in illa die, confitemini Domino & inuocate nomen eius.
Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius.
Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annunciate hoc in vniuersa terra.
Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Oriens splendor lucis æternæ, & Sol iustitiæ, ac sponse animarum Sanctarum IESV CHRISTE: per humilitatem tuam, qua ad nuptias Canæ Galilææ, cum Matre Virgine, & discipulis vocatus, es dignatus venire; per misericordiam, qua sponsi & sponsæ inopiæ, vino ex aqua per te ad intercessionem sanctissimæ Genitricis tuæ MARIÆ facto, succurristi; per gloriam tuam, quam tunc primo discipulis tuis manifestasti; & in his omnibus, per gaudia sāctissimæ Virginis matris tuæ, quæ ex cognitione tui ab hominibus, tunc inter homines cœptæ habuit; per merita eiusdem, & beatorum Apostolorum tuorum, &c. *vt supra ad primum Altare*.
Aue Maria, &c.

O si-

O Fidelissima, & misericordissima aduocata omnium inopum ac miserorum sanctissima Virgo MARIA: per primitias miraculorum, quas in Cana Galilææ aquam mutando in vinum IESVS CHRISTVS, Filius tuus Dominus noster te intercedente exhibuit; per gloriam Diuinitatis suæ, quam tunc primo discipulis suis manifestauit; per gaudia quibus in his; & omnibus alijs mirabilibus Filij tui perfusa fuisti, rogo digneris, &c. *vt supra ad primum Altare.*

Credo in Deum Patrem, &c.

℣. Ostende nobis Domine misericordiã tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

ECclesię tuæ Domine preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis; secura tibi seruiat libertate.

DEus a quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura Regnorum: respice in auxilium Christianorum: vt gentes paganorum, & hæretici, qui in sua fe-

ritate

ritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

OMnipotens sempiterne Deus, ædificator, & custos Hierusalem Ciuitatis supernæ, ædifica & custodi sacrosanctam Ecclesiam tuam, vt sit in ea domicilium tranquillitatis, & pacis.

INeffabilem misericordiam tuam Domine nobis clementer ostende, vt simul nos & a peccatis exuas; & a pœnis quas pro his meremur eripias. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Deuoto Oratori.

HAnc praxim, si Rosario Beatissimæ Virginis MARIÆ, quod Coronam vulgariter vocant, applicare; atque per eius sex decades, & septimam triadem Angelicarum Salutationum (quas ad numerum annorũ vitæ mortalis Deiparæ sanctissimæ antiqua, & a Deo multis miraculis probata deuotio fidelium contexuit, illisque Augustissimam Cœli, & Terræ Imperatricẽ honorare consueuit) recensita mysteria gaudiosa vitæ IESV CHRISTI, & eius Genitricis ex eisdem abunde hausta gaudia, deducere si libuerint, fere tibi, deuote Orator, & Cultor Deo dignissimæ MARIÆ, nullius id difficultatis erit. Omissis enim illis, quæ signanter ad solam visitationem Altarium spectant; vti sunt *Gratiarum actiones*, *Psalmi*, *& Commemoratio-*

nes

nes Patronorum altarium, quæ visitantur, reliqua omnia Coronæ superbeatissimæ & gloriosissimæ omnium Sanctorum Reginæ optime accommodare poteris, *v. g. sic. In primis dic:*

DEus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandū me festina.

Subiunge Hymnum.

MEmento salutis auctor.
Quod nostri quondam corporis.
Ex illibata Virgine
Nascendo formam sumpseris;
MARIA Mater gratiæ
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, & sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem cōtra hostes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

ACtiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio, a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, &c.

O Rex

O Rex gentium, & desideratus earum,&c. Per merita sanctissimæ Virginis MARIÆ Matris tuæ, & beatorum Apostolorum tuorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum tuorum, tuæ maiestati supplico, &c.

Quæ sequuntur ibidem. Post hac dices decies Aue Maria, &c. *Post decimum Aue subnectes precationem; v.g. prima decade.* O super omnes mulieres benedicta, &c. *Et sic consequenter tam post septem orationes Dominicas, quam post sex decades, & septimam Triadem Angelicarum salutationum precationes dices eo ordine, quo in praxi se consequuntur, immutando in singulis decadibus mysteria Vitæ IESV CHRISTI Domini: sic. Post IESVS in salutatione Angelica dic in decade.*

I. Quem Angelo nunciante virgo concepisti.
II. Quem in vtero virginali portando Elisabeth visitasti.
III. Quem Virgo genuisti.
IV. Quem tres Reges adorarunt & mysticis muneribus honorarunt.
V. Quem in templo Deo Patri obtulisti.
VI. Quem amissum post triduum in templo inter Doctores inuenisti.
In VII. Triade. Quem ad primitias miraculorum in Cana Galilææ intercessione tua inuitasti: Sãcta Maria, &c.

Post hac: Credo in Deum, &c.

Post hac, vel Salue Regina misericordiæ,

dicę, *aut certe*: Alma Redemptoris Mater, quæ peruia cœli porta manes, & stella maris: succurre cadenti, surgere qui curat, populo; Tu quæ genuisti natura mirante tuum Sanctum Genitorem. Virgo prius ac posterius. Gabrielis ab ore sumens illud aue, peccatorum miserere.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

GRatiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante Christi Filij tui Incarnationem cognouimus; per passionem eius & crucem ad resurrectionis gloriã perducamur.

FAmulorum tuorum Domine delictis ignosce, vt qui placere tibi de actibus nostris non valemus: Genitricis Filij tui Domini nostri intercessione saluemur.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

COncede mihi quæso omnipotens, & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, diligenter & ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfecte adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum: & quod a me requiris, vt faciam, tribue vt sciam, vt possim, & velim; & da exequi vt oportet, & expedit saluti animæ meæ. Via mihi quęso

ad

ad te sit tuta, recta, & consummata, non deficiens inter prospera & aduersa: vt in illis non extollar, & in istis non deprimar; vt in prosperis gratiam tibi referam, & in aduersis seruem patientiam. De nullo gaudeā vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam nisi tibi. Omnia in charitate da facere; & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre cum deuotione. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus meus plusquam omnia. Tædeat me gaudij quod est sine te: nec cupiam aliquid quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est pro te: & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te. Frequenter, & feruenter da mihi dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere: & defectionem meam, cum emendationis proposito, dolendo, pensare. Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione; maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumque ædificare verbo & exemplo sine elatione,

obe-

obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi dulcissime IESV cor peruigil, quod nulla abs te abducat curiosa cogitatio, da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio, da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio, da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio, & da rectum quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio. Largire mihi dulcissime Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te inuenientem, conuersationem tibi placentem, perseuerantiam te dulciter, & fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem; tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs in via vti per gratiam, & gaudijs tuis in patria frui per gloriam. Amen.

* * *

SE-

SECVNDA PHIALA

Seu Secunda Praxis visitandi Septem Altaria per septem mysteria Passionis IESV Christi ordinata.

AD PRIMVM ALTARE.

Memoria venditionis, & Agoniæ IESV CHRISTI.

Cogita quomodo Christo Domino in opere salutis humanæ dolorosissime agonizanti, Iudas vitã eius apud Iudæos negotiatur: ob quod scelus in Psalmo supposito expressa maledicta incurrit. Cuius sceleris, & pœnæ eos consortes fieri aduerte, qui singularibus Dei donis, & sacris honoribus adornati, ea rerum caducarum amore sacrilege prostituunt. His animo affixus dic.

PRo omnibus donis ac decoribus sanctæ Ecclesiæ collatis; benedictus sis Domine Deus Patrum nostrorum; laudabilis & gloriosus in sæcula. Amen.

Psalmus 108.

DEus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.
Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt me gratis.

Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.
Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.
Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius.
Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.
Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.
Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua.
Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eijciantur de habitationibus suis.
Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius: & diripiant alieni labores eius.
Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.
Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.
In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.
Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.
Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.
Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et

Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.
Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: & sicut zona, qua semper præcingitur.
Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala aduersus animam meam.
Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua.
Libera me quia egenus, & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.
Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ.
Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.
Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & mouerunt capita sua.
Adiuua me Domine Deus meus: saluum me fac secundum misericordiam tuam.
Et sciant quia manus tua hæc: & tu Domine fecisti eam.
Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: seruus autem tuus lætabitur.
Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.
Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.
Quia astitit a dextris pauperis, vt saluam

uam faceret à persequentibus animam meam. Gloria Patri,&c.
Pater noster,&c.

O Mediator Dei, & hominum Deus homo Christe IESV, benedico, laudo, & glorifico te in æternum, quod ab ingratissimo & pessimo discipulo vẽdi; & ad omnes in agonia tua præuisos a te cruciatus, & ad ipsam mortem Patri æterno humillime, & amantissime te offerre, sis dignatus: Per omnes ex ingratitudine, & perditione electi discipuli, atque ex innumerabilium, quos tunc pręuidisti prętcitorum ob suam ingratitudinem futura condemnatione, susceptos a te dolores, & per guttas sanguinis ex te in terram tunc decurrentes, animo ante maiestatem tuam prostratus supplico, vt sanctam Ecclesiam tuam pacifices, coadunes, & exaltes, atque ex ea schismata & hæreses tollas, omnibus in sortem tuam vocatis, gratitudinem pro acceptis beneficijs & in vsu eorum fidelitatem dones, & mihi N. N. largiaris, denique ab omni abusu gratiarum tuarum, & omni maledicto præseruatum tuis benedictionibus præuenias, qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. Aue Maria,&c.

O Misericordissima consolatrix afflictorum Virgo MARIA, per tristitias, dolores, pauores, & extremas angustias amabilissimi Filij tui, quas in sua agonia sustinuit, & per sudorem sangui-

neum, quo tunc dolorosissime sudauit, Te rogo, vt agas gratias Deo meo pro omnibus gratijs & decoribus sanctæ Ecclesiæ collatis, atque eidem omnimodam pacem, & exaltationem, sacratis Principibus Sacrosanctæ Filij tui Ecclesiæ in dispensatione mysteriorum Dei, & ministerio circa salutem animarum omnimodam fidelitatem: mihi vero de abusu gratiarum Dei veniam, & demeritorum indulgentiam, & in votis a me Deo factis, fidelitatem; ac tandem, in extremis vitæ meæ tædijs, pauoribus, & doloribus, Diuinam & tuam consolationem; & ad omni maledicto vltimatam præseruationem, impetres, ò super omnes puras creaturas benedicta. Amē.

AD SECVNDVM ALTARE,

Seu ad Sanctum Petrum in Vrbe.

Memoria proditionis, & captionis IESV Christi Domini Nostri, & fugæ Discipulorum.

Considera per Psalmum sequentem, quomodo Deus, & Saluator tuus, queratur de sua per suum discipulum proditione, de crudelissima sui ab hostibus captione, ac ingrata Discipulorum à se discessione: & cogita, quod huiusmodi doloribus illi excarnificent cor diuinum, qui ob tentationes, sensualitates, & auras mundanas

à bene

à bene cœptis resiliunt; & noua semper in se gratijs diuinis impedimenta ponentes, in grauiora in dies scelera ruunt. Hæc animo voluens dic:

Pro omnibus donis ac decoribus, &c. *vt supra ad primum Altare.*

Psalmus 54.

EXaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meã: intende mihi, & exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea; & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ;

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?

Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine.

Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.

Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniustitia.

Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset

mihi, sustinuissem vtique.
Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.
Tu verò homo vnanimis: dux meus, & notus meus:
Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.
Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes:
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.
Ego autem ad Deum clamaui: & Dominus saluabit me.
Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam.
Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.
Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula.
Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.
Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius.
Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula.
Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.
Tu

Tu vero Deus deduces eos, in puteum interitus.
Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Amabilissime Redemptor, & Pastor animarum optimè, Domine IESV CHRISTE, omnes resignationes, fidelitates, amores, & perseuerantiæ in te, & gratia tua; sint tibi omnium Sanctorum tuorum, in gratiarum actionem, pro illis omnibus animi ac corporis doloribus, quos in tui captione, funibus constrictione, crudelissimis raptationibus, & concussionibus, in fuga Discipulorum, & desperata Iudæ proditoris malitia, passus es. Per hæc, ac simul per merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum tuorum (præcipuè verò altaris huius Sanctorum Patronorum) maiestati tuæ supplico; vt omnes Ecclesiasticos a peccatiseruitute liberes, & filiali amore tibi in omnibus adhærere facias, desperatis peccatoribus spem veniæ dones, & eos efficaciter ad te conuertas: me vero peccatorem a vinculis peccatorum & a laqueis inimicorum absolutum, fidelem vsque ad mortem tibi efficias IESV CHRISTE Redemptor meus viuens, & regnans in sæcula.
Aue Maria, &c.

O Supra omnes Deo fidelis Virgo Deipara MARIA, per vincula, constrictiones, raptationes, protrusiones, percussiones, insultationes, atque ex fuga Discipulorum suorum, & desperata proditoris malitia dolores, quos passus est amabilissimus Filius tuus; per omnia illa, & amabilitatem eiusdem Filij tui te rogo, vt intercedas pro omnibus necessitatibus Ecclesiæ militantis, pro quibus nunc orare teneor, & cupio: mihi vero impetres veniam peccatorum & indulgentiam demeritorum, & me indignum clientem tuum ab insidijs diaboli, peccati seruitute, infidelitate, impœnitentia, & desperatione, in vita, & in morte conserua admirabilis Mater Saluatoris benedicta in sæcula. Amē.

AD TERTIVM ALTARE,

Seu ad Sanctum Paulum.

Memoria illusionum & condemnationum IESV CHRISTI apud Annam, & Caipham, & Petri negationis.

Considera Christi Domini iniurias, Calumnias, blasphemias, colaphizationes, conspuitiones, illusiones, & condemnationes, quas passus est in domibus Annæ & Caiphæ; quibus adnumera Petri *trinam negationem, & simul aduerte consimi-*

similiter Deum suum ab illis tractari, qui sacris dignitatibus, & donis praecellentioribus ab eo honorati, iisdem scelesti, nullo monitorum admisso, oppugnant eorum largitorem; quem solo habitu, & professione honorare videntur, caeterum impijs factis suis eundem negant, & abnegant; quos manent maledicta Psalmo *supposito expressa. Hac mente pertractans dic.*

Pro omnibus donis, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

Psalmus 34.

IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me: dic animae meae: Salus tua ego sum.

Confundantur & reuereantur, quaerentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebrae & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domi-

no: & delectabitur super salutari suo.
Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?
Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.
Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.
Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.
Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.
Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur.
Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.
Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui.
Dissipati sunt, nec compuncti, tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerũt super me dẽtibus suis.
Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.
Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.
Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi inique: qui oderunt me gratis & annuunt oculis.
Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.
Et

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.
Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.
Exurge & intende iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam meã.
Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.
Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant: Deuorauimus eum.
Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis.
Induantur confusione & reuerentia qui magna loquuntur super me.
Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.
Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O Iudex viuorum & mortuorum Sol Iustitiæ, illuminans omnia IESV CHRISTE, per iniurias, illusiones, blasphemias, colaphizationes, conspuitiones tuas, & condemnationes, quas in domibus Annæ, & Caiphæ pati es dignatus, te rogo ac simul per dolorem, quem ex trina Petri negatione, & Iudæ perditione habuisti; per merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium

Sanctorum. (præcipuè huius altaris Sanctorum Patronorum) humiliter tibi supplico, vt omnibus Sanctæ Ecclesiæ necessitatibus digneris subuenire, omnes gentes & sectarios ei subdere, in omnibus nationibus lumine veræ fidei laudé tuam perficere, tibi fideles ab omni cordis cæcitate, & ignorantiarum tenebris in pace, & fidelitate seruare, me quoque peccatorem intelligētem & facientem in omnibus tuam voluntatem, & in bono finaliter perseuerantem facere, qui pro omnibus illis, quæ apud sacrilegos pontifices pati es dignatus, omnes iustitias, laudes, & honores, & amores Sanctorum tuorum omnium tibi offero laudabili & superexaltato in sæcula. Amen. Aue Maria, &c.

O Fidelissima omnium aduocata sanctissima Virgo MARIA per omnia illa, quæ mansuetissimus Agnus Dei, & amabilissimus Filius tuus Dominus noster pati est dignatus in domibus Annæ & Caiphæ rogo, vt te intercedente IESVS CHRISTVS Dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruet, Reges, & Principes Christianos pacificet, & coadunet, atque ex tota Sancta Ecclesia sua, schismata, hæreses & omnes errores auferat; à me vero duplices tenebras peccati & ignorantiæ depellat, suæque illuminationis gratia me sēper illuminet, meæ professioni moribus me congrue-

re

re faciat, & omnium peccatorum concessa venia finalem in bono perseuerantiam mihi donet. Qui viuit & regnat, &c.

AD QVARTVM ALTARE,

Seu ad Sanctam Mariam Maiorem.

Memoria accusationum CHRISTI Domini coram Pilato.

SIste ante oculos mentis, ea, quæ passus est amabilissimus Saluator, tunc quando eum Iudæi, velut impostorem, maleficum & seditiosorum Antesignanum Præ*sidi gentili, ad interimendum obtulerunt: vbi ad illum Christi Domini singularem dolorem aduerte, quem ex eo habuit, quod gentilem sui obseruantiorem, quam principes populi sui experiretur Cuiusmodi passiones & dolores illi præcipuè inferunt Saluatori suo, qui per calumnias, pauperum oppressiones, ac Dei beneficiorum prostitutiones, constituere, vel seruare se in terrenis sublimitatibus adlaborant. Hæc animo ruminando dic.*

Pro omnibus donis ac decoribus, &c. *Vt ad primum Altare.*

P*salmus* 63.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me à conuentu malignãtium: à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt vt gladiũ linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.
Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.
Narrauerunt vt absconderent laqueos: dixerunt: Quis videbit eos?
Scrutati sunt iniquitates: defecerũt scrutantes scrutinio.
Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.
Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.
Conturbati sunt omnes qui videbãt eos: & timuit omnis homo.
Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.
Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Gloria Patri,&c. Pater noster,&c.

O Innocentissime Agnelle Dei, & munificentissime elargitor bonorum omnium Domine IESV Christe, omnes gratitudines, subiectiones, reuerentiæ, laudes, & amores sint tibi omniũ Sanctorũ tuorum, pro mansuetudine,& amore, quo innumeras calumnias, & iniurias, in oblatione tui & accusatione coram Pilato, a Iudæis, es dignatus pati. Per cõplacentiam Patris æterni,quam in fructu illarum passionum tuarum habet, simulque per merita Beatissimæ Virginis

MARIÆ, & omnium Sanctorum tuorum (ac præcipuè huius altaris SS. Patronorum) rogo vt Principes, & Præsides Sanctæ Ecclesiæ ab omni ambitione & iniustitia immunes custodias, pupillis & oppressis subuenias, Religiosis Ordinibus augmenta amoris tui, & zeli animarum largiaris, vniuersam Ecclesiam pacifices, & coadunes N. N. & mihi N. N. cum venia peccatorum dones, ab omnibus hostibus visibilibus & inuisibilibus me liberes; & tandem ante tribunal tuum ab omni culpa & pœna absolutum, in beatificam libertatem filiorum tuorum me admittas, Deus meus benedictus in sæcula. Amen. Aue Maria, &c.

O Præsentissimum auxilium miserorum, & oppressorum Domina mea Virgo MARIA, per iniquissimas accusationes, & impijssimas calumnias, quas a Iudæis est passus innocentissimus Filius tuus apud Pilatum, per mansuetudinem quoque eiusdem, qua omnia pro salute nostra sustinuit, & per eius amabilitatem, tibi supplico: vt impetres Sanctæ Ecclesiæ omnimodam pacem, & exaltationem, eius Rectoribus salutarem gubernationem, & fidelibus tuis perfectam cum voluntate diuina conformitatem; N. N. & mihi veniam peccatorum, ac indulgentiam demeritorum, ab insidijs diaboli, & laqueis visibilium inimicorum meorum liberationem, quoad per te deducar in Hierusalem

lem coeleſtem, quæ libera eſt cum filijs ſuis, in qua tu conſtituta es Regina omnium benedicta, & glorioſa in sæcula. Amen.

AD QVINTVM ALTARE,

Seu ad S. Laurentium extra muros.

Memoria IESV CHRISTI à Pilato ad Herodem miſſionis, & ab Herode cum contemptu, & illuſione eiuſdem Saluatoris ad Pilatum remiſſionis.

Conſidera Dominum vniuerſorum IESVM CHRISTVM, miſſum à Pilato Herodi, veniſſe, in donarium ſacrilego homicidæ, qui eo ad mimicam ſcelerati animi ſui vti oblectationem volens, nec ob ſilentium admirandum Saluatoris valens, contempſit illum, & illuſum ac velut inſanè ambitioſum, veſte alba indutum Pilato, velut ſe indignum remiſit. Cuiuſmodi ſceleribus & his adſcriptis Pſalmo ſubiecto pœnis condemnantur illi, qui diuinis, ſeu Deo ſacratis rebus, fauores hominum, & mundi vanitates venantur, vel eos qui Chriſti Domini veſtigijs vita, & moribus fideliter inſiſtunt, contemptui, & ludibrio habent, ac perſequuntur. Hæc animo obuerſans dic. Pro omnibus donis ac decoribus, &c. *Vt ſupra ad primum Altare.*

Pſalmus

Psalmus 68.

SAluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meã.
Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.
Veni in altitudinem maris; & tempeſtas demerſit me.
Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meę: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.
Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.
Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam.
Deus tu ſcis inſipientiam meam; & delicta mea à te non ſunt abſcondita.
Non erubeſcant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.
Non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael.
Quoniam propter te ſuſtinui opprobriũ: operuit confuſio faciem meam.
Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.
Quoniam zelus domus tuę comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.
Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi.
Et poſui veſtimentum meum cilicium: & factus ſum illis in parabolam.
Aduerſum me loquebantur qui ſedebant

bant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.
Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.
Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab ijs, qui oderunt me, & de profundis aquarum.
Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum.
Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.
Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam.
In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam.
Et sustinuj qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.
Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.
Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueũ, & in retributiones, & in scandalum.
Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.
Effunde

Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.
Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.
Deleantur de Libro viuentium: & cum iustis non scribantur.
Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.
Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude:
Et placebit Deo super vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.
Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra:
Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.
Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.
Quoniam Deus saluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iuda.
Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam.
Et semen seruorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea. Gloria Patri, &c.
Pater noster, &c.

O Increata, & incarnata Sapientia IESV CHRISTE, Rex Regum, & Domine dominantium, omnes taciturni-

turnitates, humilitates, rerum terrenarum contemptus, omnium Sanctorum tuorum, omnesque eorum honores, glorias, & super omnia amores tui, offero tibi, pro mansuetudine, taciturnitate, & humilitate, qua superbum Herodem, & in eo sathanam deuicisti: Per contumelias autem, irrisiones & illusiones, atque contemptus, quos apud scelestum illum Regem pati es dignatus, maiestati tuæ humiliter supplico, vt honorem, & super omnia amorem tui, in omnibus fidelibus promoueas, in sublimitatibus constitutis profundam humilitatem dones, rerum terrenarum contemptum in omnibus religiosis augeas; Ecclesiam vero sanctam tuam coadunatam & pacificatam, ab omni hæresi & schismate saluam, super inimicos suos, exaltes: & mihi cum venia peccatorum, ac indulgentia demeritorũ perfectum mei ipsius contemptum, tui vero super omnia feruentissimum amorem & in eo finalem perseuerantiam largiaris, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.
Aue Maria, &c.

O Prudentissima Virgo Mater Dei sãcta MARIA, quæ in mœsto silentio omnia illa, quæ cum dilectissimo Filio tuo à Pilato ad Herodem transmisso agebantur, audiens, maxime doluisti. Per eiusdem amabilissimi Filij tui apud Herodem, iteratas iniquas accusatio-

nes,

nes, vexationes, contemptus, & velut de regni terreni ambitu, eius condemnatione, illusione, irrisione & ludicra ad Pilatum remissione te rogo; vt impetres in Sancto Euangelio laborantibus, & propter Deum, & iustitiam contemptibus, & persecutionibus sese obijcientibus, gratiæ septiformis abundantiam; Sanctæ Ecclesiæ pacem, concordiam Principibus, extirpationem hæresibus, schismatibus exterminium: mihi mundi, & fauorum humanorum contemptum, & ne vnquam dominentur mihi, aut irrideant me inimici mei, aut dicant, præualuimus aduersus eum, te protegente, & clientem tuum conseruante, ò fidelissima Patrona miserorum benedicta in sæcula. Amen.

AD SEXTVM ALTARE,

Seu ad SS. Fabianum, & Sebastianum.

Memoria IESV CHRISTI Flagellationis, spinosæ coronationis, & à Pilato ad Crucem condemnationis.

COgita IESVM CHRISTVM, qui in sua Diuinitate est infinitum pelagus essendi & agendi, in humanitate factum fuisse immensam abyssum patiendi, quando redux ab Herode ad Pilatum, latroni est postpositus, nudus ad columnam crudelissime flagellatus, & discissus, acutissimis spi-

nis coronatus, illusus, colaphizatus, ironicè Rex salutatus, ac totus opprobrium hominum, & plebis abiectio factus: & denique, vt impostor, maleficus, blasphemus, seditiosus, & Regni insidiator, cruci adiudicatus. His similiter saluatorem suum latroni postponunt, illi, qui tentationibus cedendo grauius delinquunt, & pro vanitatibus mundi animas suas diabolo prostituunt; eundem flagellant qui carnis voluptatibus luxuriose diffluunt: spinis coronant, qui Reges, & Principes & quosuis animarum Præsides consilio, vel auxilio ad peccandum in suo regimine inducunt: arundine CHRISTI Domini verticem percutiunt, qui malorum Præsidum siue in rebus politicis, siue in spiritualibus peccata adulationibus fouent: illudunt denique CHRISTO seruatori eumque condemnant, qui Potestatibus à Deo supra se constitutis inique detrahunt. Hæc tu animo voluens dic.
Pro omnibus donis, ac decoribus, &c.
Vt supra ad primum Altare.

Psalmus 16.

Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam.
Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis.
De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.
Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.
Vt non loquatur os meum opera homi-

num: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.
Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea.
Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.
Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.
A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum qui me afflixerunt.
Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.
Proijcientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.
Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.
Exurge Domine, præueni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.
Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.
Saturati sunt filijs: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.
Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua. Gloria, &c. Pater noster, &c.
O in-

O Infinitum pelagus essendi & agendi Deus; & homo immensa abyssus patiendi IESV CHRISTE, omnes cruciatus, & excarnificationes Sanctorũ Martyrum, omnes quoque mortificationes Confessorum, & Virginum, & denique omnis fructus, & contentatio, quam in omni æternitate habet Pater tuus æternus ex illis omnibus, quæ apud Pilatũ es dignatus pati, sint tibi pro omnibus doloribus, & sanguinis effusionibus, quas sustinuisti in tui flagellatione, spinis coronatione, & ad ignominiosissimam mortem condemnatione. Per quæ omnia, & simul per merita, & intercessiones Sanctissimæ Virginis Matris tuæ omniumque Sanctorum tuorum, humiliter rogo vt Reges, & Principes, atque animarum quoscunque bonos rectores in solicita, & peruigili cura, prudenti, iusta, & misericordi subiectorum gubernatione seruare, peruersos consiliarios, parasitos, & detractores ab illis abigere, omnes fideles tuos à laqueis diaboli, mundi fallacijs, & inquinamentis carnis, & sanguinis saluare, Ecclesiã tuam pacificare, coadunare, & exaltare, mihi autem cum venia peccatorum, & demeritorum indulgentia, reuerentiam, & amorem Potestatum à te super me constitutarum, puritatem mentis & corporis, & tandem in gratia tua finalem perseuerantiam donare digneris. Qui viuis, & regnas, &c.

Aue

Aue Maria, &c.

O Mater dolorosissima Virgo MARIA per illos dolorum gladios, qui pertransierunt intima viscerum tuorum in Filij tui flagellatione, spinis coronatione, illusione, & ad infamem mortem condemnatione; rogo, vt impetres Iudicibus recti & iusti amorem, afflictis & oppresis liberationem, animarum Rectoribus prudentiam, & viscera misericordiæ; pacem Ecclesiæ, hæresibus exterminationem, Principibus Christianis concordiam, schismaticis spiritum vnitatis, mihi verò à laqueis diaboli pręseruationem, a mancipatu carnis, mundi, & peccatorum liberationem, mortificationis & subiectionis amorem, & tandem ab æterna damnatione præseruationem, a qua me præseruare dignetur IESVS CHRISTVS Filius tuus super omnia Deus benedictus in sæcula. Amē.

AD SEPTIMVM ALTARE,

Seu ad Sanctam Crucem in Hierusalem.

Memoria IESV CHRISTI Crucifixionis, & mortis.

Considera omnium iustificatorem cum sceleratis reputatum; Liberatorem, carnificum voluntati traditum: Saluatorem, morti adiudicatum; Immensum, Cruci affixum; Fontem viuum, siti excruciatum;

ciatum; Lumen, extinctum, Vitam omnium, mortificatam, Christum IESVM Nazarenum Regem Iudaeorum, & omnium Regum totum vulneribus discissum, totum excarnificatum, & cruci affixum, atque ad extremum morte crudelissima interemptū. Quem talibus excipiunt illi, qui post insignia lumina, & dona à Deo accepta, post innumeras gratias, & consolationes sancti Spiritus, à fide & agnita veritate, bonoque semel apprehenso, mente reproba desciscūt; vel à religione apostatant; qui excaecati, & obdurati grauissimis sceleribus suis rursū, vt ait Apostolus, crucifigunt sibimetipsis Christum & ostentui habent. Hac tu animo pauido expendens dic.

Pro omnibus donis, ac decoribus, &c.
Vt supra ad primum Altare.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, Laus Israel. In tè sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: locuti

locuti sunt labijs, & mouerunt caput.
Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.
Quoniam tu es, qui extraxisti me de vẽtre: spes mea ab vberibus matris meę.
In te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me:
Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.
Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.
Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.
Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.
Quoniã circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.
Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.
Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.
Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.
Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.
Salua me ex ore leonis: & à cornibus

vnicornium humilitatem meam.
Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.
Qui timetis Dominum laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.
Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis:
Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum exaudiuit me.
Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.
Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominũ qui requirunt eum: viuent corda eorum in sæculum sæculi.
Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ:
Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.
Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.
Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.
Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.
Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

O IESV amabilissime Fili Dei viui, salus, vita, & resurrectio nostra, in

in vnione oblationum tuarum, quibus te & omnia offers tuo Patri æterno, offero eidem in gratiarum actionem, pro omnibus illis, quæ agere, & pati salutis nostræ causa es dignatus, effuso, inquam, animo offero omnem contentationem infinitæ eiusdem bonitatis, quam in se ex te vt Deo, & extra se in te, vt Deo homine habet. Humiliter autem per tuam Crucis baiulationem, vestium expoliationem, earumque diuisionem, per dolorum omnium, ac vulnerum renouationem & distractionem, per crucifixionem, manuum, ac pedum perforationem, per omnia quæ cruci affixus passus es, & extremas illas angustias, & dolores quas in animæ tuæ a corpore separatione sustinuisti; deniq; per mortem tuam maiestati tuæ supplico, vt hæreses, schismata, & discordias ab Ecclesia tua longe propulses, in cordibus omnium nostrum omnia vulnera tua, & quæcunque amore nostri pati es dignatus, sanguine tuo scribas, vt eorum perennis memoria apud secretum cordis nostri maneat, quæ in nobis quotidie renouetur, atque ex ea amor ad te augeatur; qui ad purum sanctitatis, decoquens in nobis scoriam iniquitatis, omnibus quę extra te sunt mori nos faciat, & in vnione tecum perseuerātiam apud te nobis conciliet, vt tuo sanguini pretiosissimo innatantes, feliciter tandem portum beatæ felicitatis attingamus,

& apprehendamus in; qua viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen. Aue Maria.&c.

O Fortissima Mulier, & super omnes benedicta Virgo MARIA, rogo te humiliter per crucis baiulationem, vestium exspoliationem, & ex ea vulnerũ ac dolorum omnium renouationem, per cruci affixionem, membrorum distractionem, compagum dissolutionem, felle, & aceto potationem, a planta pedis vsque ad verticem capitis crudelissimam excarnificationem amabilissimi Filij tui, eiusque mortem amarissimam: vt per horum omnium merita impetrare digneris maximis quibusque peccatoribus ad Deum conuersionem, pro laboriosissimo salutis nostrę opere a IESV ChristoDomino nostro consũmato omnimodam gratitudinem, & eiusdem Filij tui, & Redemptoris nostri inflammatissimum amorem: qui Sanctam Ecclesiam suam dignetur pacificare, coadunare, regere, atque ab ea hæreses eradicare; & me peccatorem ab iniquitatibus meis absolutum, per crucem, & passionem suam regni cœlestis hæredẽ facere: in quo cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. Credo in Deum, &c.

℣. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius. ℟. Et fugiant qui oderunt eum a facie eius.

℣. Saluum fac populum tuum Domine, & be-

& benedic hæreditati tuæ. ℟. Et rege eos & extolle illos in æternum.
℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, pijssimæ Maiestati tuæ pro collatis donis Sacrosanctæ Ecclesiæ tuæ gratias agimus: tuam semper clementiam exorantes, vt qui petenti postulata concedis, eandem non deserens ad præmia futura disponas.

ECclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura Regnorum: respice in auxilium Christianorum; vt gentes paganorum, & hæretici, qui in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

OMnipotens sempiterne Deus ædificator, & custos Hierusalem Ciuitatis supernæ: ædifica & custodi Ecclesiam tuam; vt sit in ea domicilium tranquillitatis, & pacis.

INeffabilem misericordiam tuam Domine nobis clementer ostende: vt simul nos & a peccatis omnibus exuas:

& a pœnis quas pro his meremur, eripias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deuoto Deiparæ.

ETiam ex hac praxi Coronam Reginæ Cœlorum Augustissimæ sine omni prorsus difficultate contexere Cultor Deiparæ poteris; si considerationibus Psalmus, & hac vtraque præcedentibus gratiarum actionibus prætermissis, quæ in ea reliqua manent supplicationes seu precationes, per septies iteratam Orationem Dominicam, atque per sex decades septimamque triadem salutationum Angelicarum circumduxeris, idque tali modo.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, &c. *Hymnus.*

CHristum ducem qui per crucem.
Redemit nos ab hostibus.
Laudat cœtus noster lætus.
Exultet cœlum laudibus.
Pœna fortis tuæ mortis
Et sanguinis effusio.
Corda terant, vt te quærant
IESV nostra redemptio.
Per felices cicatrices.
Sputa, flagella, verbera.
Nobis grata sunt collata
Æterna Christi munera.
Nostrum tangat cor vt plangat
Tuorum sanguis vulnerum.
In quo toti simus loti
Conditor alme siderum.

Passionis

Passionis tuæ donis
Saluator nos inebria
Qua fidelis dare velis
Æterna nobis gaudia. Amen.
℣. Dignare me laudare te Virgo Sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster,&c.
O mediator Dei, & hominum,&c. *Vt supra à pag.* 49.
Aue Maria. *decies. Post decimum.*
O misericordissima consolatrix,&c. *Vt supra à pag.* 49.

Porro mysteria huius praxis decadibus sic applicabis post IESVS in decade.

I. Quem cum Iuda Iudæi argenteis triginta appretiarunt: & tristitiæ, ac pauores in horto sanguine sudantem extreme coangustarunt.

II. Quem à Iuda proditum Iudæi vincierunt; & captum ab hostibus Discipuli reliquerunt.

III. Quem a Iudæis oppressum iniurijs, Petrus abnegauit: & Caiphas cum populo, reum mortis iudicauit.

IV. Quem à se Iudæi prædamnatum, Pilato tradiderunt: & vt eum perderet, calumnijs instíterunt.

V. Quem Pilatus vinctum Herodi misit: & Herodes contemptum, & illusum Pilato remisit.

VI. Quem Pilatus flagellatum, spinis coronauit: & Barabbæ postpositum ad crucem damnauit.

In VII. Triade. Quem milites nudatnm cruci affixerunt: & in cruce mortuum lancea transfixerunt.
Credo in Deum,&c.

Planctus S. Mariæ.

STabat mater dolorosa,
Iuxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem,
Contristatam, & dolentem
Pertransiuit gladius.
O quàm tristis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater vnigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari
Piam matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eia mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum
In amando Christum Deum,

Vt sibi complaceam.
Sancta mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Christi mortem,
Passionis eius sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari
Ob amorem Filij.
Inflammatus, & accensus,
Per te Virgo sim defensus
In die iudicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransiuit. ℞. Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INteruenіat pro nobis, quæsumus Domine Iesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam Beata Virgo Maria mater tua, cuius sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransiuit. Per te IESV Christe Saluator mundi, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

TERTIA PHIALA

Seu Tertia Praxis visitandi Septem Altaria in Septem celebratissimas Effusiones Sanguinis D. IESV CHRISTI dispartita.

AD PRIMVM ALTARE.

Seu ad S. Ioannem in Laterano.

Memoria Circumcisionis IESV Christi.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu pro omnibus gratijs, & decoribus Sanctæ Ecclesiæ collatis: laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Amen.

Psalmus

Psalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.
Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.
Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

DOmine Deus, & Pater Domini Nostri IESV Christi in vnione gratitudinum Beatissimę Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum tuorum tibi gratias ago pro eo quod eundem Filium

tuum Circumcisioni Mosaicæ subdi, atque in ea eius sanguinem innocentissimum fundi pro nostra redemptione volueris. Dolens de omnibus peccatis meis, quibus diuinam tuam & bonitatem offendi, & iustitiam læsi, ideoque Saluatori huius doloris, & sanguinis effusionis causa extiti, per horum merita humiliter rogo, vt ab Ecclesia tua omnes discordias, hæreses & schismata præcidas, eamque totam coadunes, pacifices, & exaltes: mihi verò concessa venia peccatorum, & indulgentiam demeritorum, omnem a me præscindas superbiam, luxuriam præcidas, reseces auaritiam, & auferas omnem concupiscentiam; omnimodam verò humilitatem, mentis, ac corporis puritatem, cum affectuosissimo, & effectuosissimo tui, & Saluatoris mei amore mihi dones; & propter nomen eius me in æternum salues Deus & Pater vitæ meæ cum eodem Filio tuo, & Spiritu sancto viuens, & regnans in sæcula. Amen. Aue Maria, &c.

MIsericordissima, & amabilissima Domina mea, & Sanctissimæ TRINITATIS Thesauraria munificentissima Virgo Mater MARIA gratias tibi ago, quod pro salute animarum nostrarum amabilissimum Filium tuum Circumcisioni Mosaicæ, ac per hoc Deo Patri in sacrificium matutinum obtuleris. Te autem per sanguinem fusum,

tunc

tunc ab eo, & dolorem perpessum atque per eius amabilitatem humiliter rogo, vt pro illis agas gratias Deo meo atque per eorundem merita impetres, vt ab Ecclesia omnes discordiæ, schismata, & hereses pręcidantur, & ab omni macula sanguine IESV sponsi sui purificata pacificetur, & exaltetur: a me vero peccatore te intercedente idem amabilissimus Filius tuus, & Saluator meus, omne quodcunque sibi in me displicet gratia sua præscindat; omnes libidinis commotiones, & fomitem carnalis concupiscentiæ in me sanctissimo sanguine suo extinguat, eoque cor & animam meam purificet, vt in vtroque perfecte, & finaliter emundatus, Deum deorum in Sion tandem videam te patrocinante omnium Aduocata benedicta in sæcula. Amen.

AD SECVNDVM ALTARE,

Seu ad Sanctum Petrum in Vrbe.

Memoria IESV CHRISTI Agoniæ.

Deus in adiutorium, &c. Benedicamus Patrem, & Filium, &c. *Psalmus* 31.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quo-

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.
Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.
Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.
Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.
Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.
In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

PAter cui omnia sunt possibilia, & æterna, vna cum omnibus Sanctis tuis, gratias tibi ago, quod pro nobis à morte æterna redimendis, innocentissimum Filium tuum agoniæ dolorosissimæ, & passionis acerbissimæ subijcere

sis dignatus. Dolens ego peccator de peccatis quibuscunque & iustitiam tuam læsi, & bonitatem offendi, ac meū Saluatorem in sua agonia coangustaui, humiliter rogo per merita illorum omnium, & singulorum, quæ in horto oliuario, & sua agonia est dignatus sustinere, vt totam Ecclesiam sanctam emundes & sanctifices, eius supplicationibus benignam aurem in omnibus accōmodes, eiusque necessitatibus opportunum auxilium semper exhibeas, inque omnibus eam exaltes, eius Principibus pacem, & concordiam largiaris, & hæreticos de ea extermines: a me vero peccatore pœnas peccatorum meorum, omnem acediam & pusillanimitatem, ac rerum creatarum amorem, longe facias, omnimodam cum tua voluntate cōcordiam, in tuo seruitio spiritus alacritatem, & in omnibus tribulationibus tuam consolationem, mihi dones, atque in agoniæ meæ extremis tædijs, pauoribus, doloribus, IESV mei agoniæ meritis, efficaciter, & finaliter me soleris, & vltimato in tua gratia confirmes Deus meus super omnia amabilis. Amen.

Aue Maria, &c.

VNice Deo amabilis, & in passione IESV Christi Filij tui dolorosissima ac fortissima Virgo MARIA, per acerbissimos dolores, & in discessu ad passionem suam a te Filij tui cor tuum comprimentes angustias, humiliter ro-

go; vt pro sanguineo sudore, & lethalibus angustijs, quas in sua agonia Filius tuus pati est dignatus, eidem agas gratias, ac per merita eorundem impetres circa salutem animarum desudantibus, augmenta diuinarum gratiarum, tribulatis cœlestem consolationem, Deo dicatis cum Diuina volũtate omnimodam concordiam: toti Ecclesiæ militanti pacem, & exaltationem, eius Principibus cõcordiam, hæresum ac schismatum extirpationem: & mihi cum venia peccatorum ac demeritorum indulgentia in aduersis fortitudinem, in prosperis modestiam, & vt idem Deus, & Saluator meus, mortis doloribus, & eius iudicij terroribus oppressũ, & agoniæ suæ meritis me subleuet, & gaudentem ad suam finalem gratiam tuo patrocinio me peruenire faciat, gratiæ, & gloriæ dator IESVS meus benedictus in sæcula. Amen.

AD TERTIVM ALTARE,

Seu ad S. *Paulum*.

Memoria IESV Christi flagellationis.

Deus in adiutorium, &c. ℣. Benedicamus Deum Patrem, &c. *Psalmus 37.*

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum,
Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.
Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.
Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.
Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne desiderium meũ: & gemitus meus à te non est abscõditus.
Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.
Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.
Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi, locuti sũt vanitates: & dolos tota die meditabãtur.
Ego autem tamquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.
Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.
Quoniam in te, Domine speraui: tu exau-

exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.
Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.
Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me inique.
Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniã sequebar bonitatẽ.
Ne derelinquas me Domine: Deus meus: ne discesseris à me.
Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

PAter iuste & sancte, centies millies omnes cœlestes spiritus congeminẽt laudes, & gratiarum actiones tibi, Filio tuo, ac Spiritui sancto, quod eundem Filium tuum, pro nostra redemptione, & salute, per Iudæos, tradi gentibus ad illudendum, conspuendum, & flagellandum volueris. Per flagellationis eius merita, humiliter tuæ supplico Maiestati, vt Sanctę Ecclesiæ tuæ pacem concedas, scissiones discordiarum, schismatum & hęresum in ea sanes, omnique decore cœlesti eam adornes & exaltes. Mihi verò concessa venia omnium peccatorum, quibus te offendisse doleo, humi-

humiliter rogo, vt IESV mei nuditatem ignominiam animæ meæ contegas; & cœlestibus virtutibus adornes, eius vinculis, à laqueis peccatorum me absoluas, totius corporis eius vulneribus, omnem in me ad bonum languorem sanes, & vt in omni cogitatione, verbo & opere sim totus eius, qui se totum amore mei crudelissimæ dilacerationi submisit IESVS CHRISTVS Filius tuus super omnia amabilis. Amen. Aue Maria, &c.

ADmirabilis Dei Mater Virgo MARIA, per omnia quæ amabilissimus Filius tuus apud Annam, Caipham, & Herodem est passus, per crudelissimam eius flagellationem, & totius corporis dilacerationem, humiliter rogo: vt per eorum merita impetres Ecclesiæ Dei tranquillitatem pacemque constantem, & schismatum, ac hæreseon extirpationem, Principibusque concordiam. Mihi verò obtenta venia peccatorum, & indulgentia demeritorum, impetres Domina mea clementissima, vt sanctissimi corporis eius dilaceratio per omnia me sibi subijciat, eius conspuitiones & colaphizationes, in futuro iudicio, eius mihi faciem serenent; eius contemptus, & irrisiones, beatæ æternitatis mihi gloriam concilient; largissimus denique sanguis ex eius membris dilaceratis pro me fusus, totum me emundet, & dignum coelo efficiat, te intercedente Patrona fidelissima, & benedicta in sæcula. Amē.

AD

AD QVARTVM ALTARE,

Seu ad Sanctam Mariam Maiorem.

Memoria IESV CHRISTI Spineæ Coronationis.

Deus in adiutorium, &c. ℣. Benedicamus Patrem, &c. *Psalmus* 50.

MIserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatē dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne

Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.
Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine, labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ierusalem.
Tunc acceptabis sacrificiũ iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

PAter cum Filio, & Spiritu sancto laudabilis, & gloriose in sæcula, omnes Sancti qui in terra, in cœlo, & in diuino corde tuo sunt, laudent te, & gratias tibi agant, & Filio tuo pro illis omnibus & singulis, quæ in sua spinarum coronatione est dignatus pati. Per quorum merita supplex rogo, vt visibili capiti Sacrosanctæ Ecclesiæ eiusque membris augmenta gratiarum, & eius Principibus concordiam, largiaris & eos

Corona IESV inclyta ab omni hæresi, & schismate tuearis,& in omnibus exaltes. In me vero peccatore, mentis ad bonum cæcitatem, voluntatis in malum propensionem, animi ad virtutes languorem,& corporis malas concupiscentias sanes, neque ò misericordissime Rex meus, & Deus meus, permittas omni tempore peregrinationis meæ, sed vel maxime in hora mortis meæ, non permittas ò misericordia mea, vt irrideant me, aut illudant mihi inimici mei, aut dicant, præualuimus aduersus eum. Sed meritis Coronationis spineæ IESV mei in vita & in morte cinctum, beatæ Coronæ Sanctorum tuorum me inferas. Amen Aue Maria, &c.

SVper omnes in Filij tui passionibus dolorosissima Virgo Mater MARIA, te per eiusdem Filij tui & Redemptoris mei spineam coronationem humiliter rogo, vt pro illis, quæ in ea est passus, Saluatori meo gratias agas, & per eorundem merita impetres, vt idem Filius tuus Sanctam Ecclesiam tuam ab hæresibus, & schismatibus Corona sua protegat, & euindicet, eidem infideles lumine fidei collustratos inferat, pacem & concordiam in ea foueat, atque in omnibus eam exaltet. Sanguinis autem riuulis per oculos, genas, & collum eius tunc defluentium intentionem meam in omnibus rectificet, intellectum meum ad omne bonum illuminet, & ad se rebellem

bellem meam voluntatem in omnibus compellat, sibique subijciat: vt spineæ IESV mei Coronationis vndequaque meritis cinctus, & fallaciam & tyrannidem inimicorum visibilium, & inuisibilium vltimato euadam; te protegente, & per vias præsentis peregrinationis clientem tuũ deducente misericordissima Virgo MARIA benedicta in sæcula. Amen.

AD QVINTVM ALTARE,

Seu ad Sanctum Laurentium extra muros.

Memoria IESV CHRISTI Crucis baiulationis.

Deus in adiutorium meum intende, &c.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *Psal.* 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis:

factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabāt mihi inimici mei: & qui laudabant me aduersum me iurabant.
Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam,
A facie iræ, & indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me:
Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.
Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
Et timebunt Gentes nomē tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum:
Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit:
Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum:

Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ierusalem.
In conueniendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino.
Respódit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

PAter, & Domine Deus sabbaoth laudo, benefico, & glorifico te in æternum, pro omnibus illis, quæ Filium tuum, & Saluatorem meum, in sua ad mortem condemnatione, vestium expoliatione, crucis baiulatione, & sub ea extrema lassitudine, nostræ salutis causa, pati voluisti. Per quorum merita maiestati tuæ supplico: vt credentes in te populos ab æterna damnatione liberes, eisq; spem firmam, fidem, & charitatem perfectam, pacemque, & concordiam dones, & cruce Saluatoris omnes Sanctæ Ecclesiæ hostes expugnes.
Animam vero meam sanguine IESV mei

emundes, eius vulnera cordi meo inscribas, per crucem eius ab inimicis meis & æternæ mortis sententia me liberes, sub suaui iugo famulatus tui me finaliter cõserues, atque meritis IESV mei passionis, & mortis adiutũ, ad montes æternæ beatitudinis peruenire me facias, Deus meus Omnipotẽs, & super omnia amabilis. Amen. Aue Maria, &c.

VIta, dulcedo, & spes nostra Virgo MARIA per Filij tui, & Saluatoris mei ad mortem condemnationem, crucis baiulationem, & omnia illa tormenta, quæ à Prætorio Pilati ad montem Caluariæ pati est dignatus, humiliter rogo, vt pro illis omnibus agas gratias IESV meo, & per eadem impetres laborantibus in Euangelio singularem Dei succursum, & in opere salutis constantiam, heresibus, & schismatibus exterminium, toti Ecclesiæ pacem, & concordiam. Mihi vero peccatori veniam peccatorum, & demeritorum indulgentiam, & ne idem Saluator, & Deus meus proijciat me à facie sua, & Spiritum sanctum suum ne auferat à me; neque me tradat in desideria cordis mei, aut abire sinat post adinuentiones meas: sed in omnibus ac per omnia sibi adhærere me faciens, per crucem suam, a lequeis inimicorum meorum, & fletu, ac planctu æterno me præseruet, & passionis, ac mortis suæ meritis me in æternum saluet. Amen.

AD

AD SEXTVM ALTARE,

Ceu ad SS. *Fabianum, & Sebastianum.*

Memoria IESV Christi Crucifixionis.

Deus in adiutorium meum intende, &c.
℣. Benedicamus Patrem, &c. *Psal.* 129.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

PAter increate, & æterne vna cum Filio tuo, & Spiritu sancto sis benedictus in templo sancto tuo, & in throno Regni, & in omnibus operibus tuis in cœlo, & in terra, pro eo quod super omnia amabilem Filium tuum pro nostra redemptione & salute in mortem tradi, & cum sceleratis reputari sis pas-

sus. Per eius crucifixionem, & omnia quæ pendens in cruce pertulit, humiliter rogo, vt sanctam Ecclesiam abundātiori gloria, & honore vestias, & exaltes, eius Principibus dones concordiam, & hæreticorum contumaciam virtute crucis conteras, omnesque laude tua infrænes. Me vero peccatorem largissimo sanguine IESV mei purificatum concede, vt idē Saluator meus vitæ ac mortis suæ meritis adornatum, in omnibus me sibi vniat, ab omni maledicto & laqueis hostium seruatum, tuis benedictionibus adimpleat, post se indesinenter currere faciat, & tandem venientem ad se glorioso vultu suo me satiet Deus meus super omnia amabilis. Amen. Aue Maria, &c.

TOta ex Filij doloribus dolor, & tota ex nati cruciatibus inenarrabile tormentum Virgo Deipara MARIA, reduc quæso ad memoriam quæ sustinuisti, quando eundem Filium tuum cruci affigi, & inter irridentium, subsannantium, insultantium, & blasphemantium clamores, & cachinnos in cruce in medio latronum eundem leuari vidisti. Per ea omnia humiliter rogo, vt pro illis omnibus ac singulis, affectibus omnigenis vna cum sanctis omnibus Saluatori meo agas gratias: & per eorum merita impetres Sanctæ Ecclesiæ pacem & exaltationem, concordiam Principibus, & hæresum extirpationem. Mihi vero

vero peccatori obtenta peccatorum venia, & demeritorum indulgentia supplex oro impetres, vt ad extremum vitæ meæ sub cruce sua Saluatori meo militē, nexibus amoris indissolubilis IESV meo adstringar, & pro eo aduersa quæque forti & volenti animo subeam, donec è præsenti mortalitate ad consortium beatorum subleuer, te adiuuāte refugio peccatorum. Domina mea clementissima, & in æternum benedicta. Amen.

AD SEPTIMVM ALTARE,

Ceu ad Sanctam Crucem in Hierusalem.

Memoria IESV lateris lanceæ transfixionis.

Deus in adiutorium meum intende, &c.
℣. Benedicamus Patrem, &c. *Psal. 142.*

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.
Et nō intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.
Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi:
Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me, in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.
Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.
Gloria Patri, &c. Pater noster, &c.

DEus Pater omnipotés Creator coeli, & terræ, respice quæso in faciem Christi tui pallore mortis vestitam, sputis oblitam, alapis contusam, liuoribus, & vulneribus miserabiliter decoloratã; & memento durissimarum viarum, quas ab egressu suo ex vtero virginali vsque ad mortem suam propter verba tua custodiuit. Has quæso de cruce, pro

nobis

nobis ad te clamantes, nostri miseratus attende; orationesque in summis atque extremis tormentis suis Saluator noster in Cruce pendens, pro nobis quas fudit; & denique perfossum lancea militari latus, atque ex corde suo reliquum sanguinis & aquæ quod pro nobis tibi libauit; propitius respice; ac per omnium quæ passus est, merita & ipsius patientis amabilitatem supplex rogo, vt pro illis in gratiarum actiones suscipias ex illis quem in omni æternitate habes fructum, laudis, gloriæ & amoris tui, ac per eorum merita sanctam Ecclesiam sponsi sui sanguine purifices, emundes, & in eius amore enutrias, pacifices, & exaltes, discordias inter eius Principes componas, venena hæresum, ac schismatum procul ab ea remoueas, corda terrenis vanitatibus insepulta cælestia sapere edoceas, atque Saluatoris sanguine emundes, duritiem impœnitentium emollias, mortuos in peccatis gratia exsuscites. Cordis vero mei immunditiam sanguine IESV mei emundes, eius cæcitates Saluatoris vitæ, passionis, & mortis exemplis illumines, omni extraneo amori illud mori facias, & tibi totaliter viuere, & operari, quoad tandem ad beatificam vnionē tecum, & IESV meo veniam te agente Deo meo per IESVM Christum Saluatorem, cum quo in vnitate Spiritus viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aue Maria gratia plena Dñs tecum,&c.

SVpra omnes amaritudines sub cruce Filij tui amarissima, morte ipsa miserabilius viua, & præ omnibus Martyribus incõparabiliter Martyr Virgo MARIA, reduc quæso ad memoriam cordis tui angustias, & dolores, quos sustinuisti, quando sub cruce IESV stans, eum pro nostris peccatis cruci affixũ, flagellis discissum, in omnibus membris dilaniatum, totum sanguine suo perfusum, ac per latum, & longum crucis crudeliter distentum, & distractum, occisum, & denique lancea militari transfixum vidisti. O mater admirabilis, humiliter rogo per gaudia beatifica, & cœlestes prærogatiuas, quas in cœlo, & in terra habes pro omnibus illis doloribus, & altissimarum virtutũ in passione Filij tui à te elicitis actibus, vt per passionem, & mortem Filij tui impetres sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ ex aperto latere sponsi sui omnimodam puritatem, & perfectionem, & cum corde eiusdem conformitatem, eius Principibus concordiam, hæresum extirpationem, & sui in omnibus exaltationem. Mihi vero venia peccatorum cum indulgentia demeritorum impetrata, etiam obtine quæso vt cor meum IESV mei vulneribus saucietur, eiusque sanguine inebrietur, ita vt totum in IESVM amore tendam, nihil præter illum velim, aut concupiscam, solis autem eius passionibus pascar, &

enutriar, donec in IESV tandem vltimato quiescam, & per merita vitæ, passionis, & mortis eius gaudia æterna possideam, te adiuuante Patrona mea misericordissima benedicta in sæcula. Amen.
Credo in Deum Patrem, &c.
Versus & collectæ ad placitum, *ex supra notatis.*

CVLTORI DEIPARAE.

Hanc quoque praxim cum libuerit, Coronæ Beatissimæ Virginis MARIAE facillimum erit applicare, Psalmis, & gratiarum actionibus prætermissis. Tali igitur modo texetur: In primis.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, &c. *Hymnus.*

IN passione Domini
Qua datur salus homini:
Sit nostrum refrigerium
Et cordis desiderium.
Portemus in memoria
Dolores, & opprobria
Christi Coronam spineam,
Crucem, clauos & lanceam.
Et plagas sacratissimas
Omni laude dignissimas
Acetum, fel, arundinem
Et mortis amaritudinem.
Hæc omnia nos satient
Et dulciter inebrient.
Nos repleant virtutibus
Et gloriosis fructibus.

Te crucifixum colimus,
Et toto corde poscimus
Vt nos sanctorum cœtibus
Coniungas in cœlestibus. Amen.
Dignare me laudare te Virgo sacrata.
Da mihi virtutem,&c. Pater noster,&c.
Domine Deus, & Pater Domini Nostri IESV Christi in vnione gratitudinū, &c.
Aue Maria *decies; post vltimum.*
Misericordissima, & amabilissima Domina,&c. *Et sic in aliis.*
Iam vero in salutationibus post IESVS *in decade.*
I. Qui propter nos circumcisus est.
II. Qui propter nos sanguineum sudorem sudauit.
III. Qui propter nos flagellatus est.
IV. Qui propter nos spinis coronatus est
V. Qui propter nos Crucem baiulauit.
VI. Qui propter nos crucifixus est.
In triade VII. Qui propter nos lancea militari transfixus est.
Credo in Deum,&c. Salue Regina,&c.
Collectæ ex præcedentibus, *ad placitum vel.*

DOmine IESV Christe Fili Dei viui, fons vitæ, & origo totius bonitatis, qui de sinu Dei Patris in vterum Virginis Matris, de tua immarcessibili gloria, pro nostra miseria descendisti. Qui in hora passionis tuæ pro me peccatore, & totius mundi redemptione, terram tuo sanguine irrigasti, & à Iudæis reprobari voluisti. A Iuda osculo tradi,

vinculis alligari, & vt agnus mansuetus ad victimam deduci. In conspectu Pilati offerri, falsisque testibus accusari. Colaphizari, flagellis cædi, opprobrijs saturari, conspui, spinis coronari. Nudus in Cruce leuari, atque inter latrones deputari. Clauis, aculeis, & lancea perforari. Felle & aceto potari, & propter me innoxius morte turpissima condemnari. Tu Domine IESV Christe Fili Dei viui, propter has sanctissimas passiones tuas,& per mortem tuam pretiosam me miserum peccatorem a morte perpetuá, & subitanea & improuisa: à præsentibus curis & periculis, à nexibus peccatorum, & a pœnis inferni libera, salua, & perduc me, quo perduxisti latronem te serio confitentem in cruce. Auxilientur mihi Domine venerabiles passiones tuæ, & me miserum peccatorem defendant ab omni luctu, & miseria, ab omni dolore, & infirmitate, ab omni impugnatione corporis & animæ. De tua immensa pietate & ineffabili misericordia confisus te deprecor, vt me miserum peccatorem custodias, protegas, & defendas, ab omnibus incursibus diaboli, & omnium inimicorum meorum visibilium, & inuisibilium. Amen.

* * * *

QVARTA PHIALA

SEV QVARTA PRAXIS

Visitandi Septem Altaria per septem Christi Domini verba testamentaria dispensata.

AD PRIMVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Ioannem in Laterano.

CHRISTVS Dominus in Cruce pro Crucifixoribus suis orauit.

Gratiarum actio.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri,&c.

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri,&c.

℣. Benedicamus Patrem,& Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

DEus cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, maiestati tuæ, pro collatis

donis

donis Sacrosanctæ Ecclesiæ tuæ, gratias agimus; tuam clementiam exorantes: vt qui petenti desiderata concedis, eandem non deserens ad præmia futura disponas. Per Christum Dominum, &c.
Pater noster, &c.

O IESV cœlestis medicè, recordare languoris & doloris, atque liuoris, quos in alto crucis patibulo leuatus, passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in suo statu rectè permanserat: ita vt nullus dolor dolori tuo similis inueniretur: quia à planta pedis vsque ad verticem capitis non fuit in te sanitas: & tunc dolorum omnium immemor, Patrem pro inimicis pie exorasti dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc misericordissime IESV charitatem & misericordiam da quæso Sãctæ Ecclesiæ tuæ pacem & exaltationẽ, Christianis Principibus concordiam, hæresum extirpationem: mihi verò peccatori N. N.

Tu autem, ò Pater æterne per hanc effusissimam Filij tui ad sui crucifixores charitatem, & per illa omnia, quæ ex voluntate tua pro nobis est passus, Ecclesiæ tuæ quæsumus preces, placatus admitte, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

OMnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura Regnorum; respice

in auxilium Christianorum: vt gentes paganorum, & hæretici, qui in sua feritate confidunt; dexteræ tuæ potentia conterantur.

OMnipotens sempiterne Deus, ædificator, & custos Ierusalem Ciuitatis supernæ: ædifica,& custodi Sãctam Ecclesiam tuam militantem: vt sit in ea domicilium tranquillitatis, & pacis. Per Christum Dominum,&c.

Aue Maria, &c.

Sequens Oratio ad singula altaria post salutationem Angelicam repetenda.

O Dolorissima, & in omnibus Filij tui passionibus,& tuis compassionibus, ad voluntatem Dei Patris, animo semper compositissima, Deipara Virgo MARIA, per omnia illa acerbissima tormenta, quæ dilectus Filius tuus cruci affixus, in corpore, & animo pati est dignatus; ac per eiusdem amabilitatem, rogo impetres Christianis Principibus veram concordiam, hæresum extirpationem, excæcatis gentibus, & Sanctæ Ecclesiæ inimicis lumẽ gratiæ Dei,& veritatis,obduratis peccatoribus ad Deum conuersionem, Catholicis fidei Cultoribus ad Deum, & ad te sinceram charitatem & amorem, Sanctæ militanti Ecclesiæ in suis necessitatibus opportunũ succursum, & exaltationem, in sacris Principatibus constitutis sitim, ac zelum salutis animarum,omnibus fidelibus singularem diuinam protectionem, & in

bono

bono finalem consummationem. Mihi vero peccatori amorem inimicorum, à peccatis, & demeritis Paradisi ingressum mihi prohibentibus, emundationem, in Dei, & tui amore feruorem, & stabilitatem, in omnibus tribulationibus meis diuinam, & tuam consolationem, ac protectionem: vtque tota anima Deum meum in omnibus sitiam, & in manus eiusdem, feliciter tandem præsenti peregrinatione consummata, reddar per te Dominam, & Patronam meam clementissimam benedictam in sæcula. Amen.

Antiph. Sancti, quorum reliquiæ in hoc altari habentur, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

INfirmitatem nostram quæsumus Domine propitius respice, & mala omnia quæ iuste meremur, Sanctorum, quorum hic reliquiæ habentur, intercessione auerte. Per Christum, &c.

AD SECVNDVM ALTARE.

Ceu ad S. Petrum in Vrbe.

Memoria in Cruce à IESV latroni promissæ salutis.

Gratiarum actiones, sicut ad primũ Altare.

Pater noster, &c.

O IESV

O IESV speculum charitatis æternæ, memẽto illius mœroris, quem habuisti, quando in speculo Serenissimæ Maiestatis tuæ conspexisti prædestinationem electorum tuorum, per merita passionis tuæ saluandorum: & reprobationem malorum, ob ingratitudinẽ damnandorum: & per abyssum miserationis tuæ, quam perditis, & desperatis peccatoribus tunc contulisti, & præcipuè, quã latroni in cruce exhibuisti dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Rogo te pie IESV, vt Sanctam Ecclesiam tuam coadunes, & exaltes eius Principes concordes, & hæreses extirpes. Mihi vero peccatori N. N. dones. Et tu Pater misericordiarum propter merita passionis eiusdem dilecti Filij tui, Ecclesiæ tuæ quęsumus, &c. *Vt ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O dolorosissima, & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

AD TERTIVM ALTARE,
Ceu ad Sanctum Paulum.

Memoria Commendationis MATRI CHRISTI Ioannis, & huic illius.

Gratiarum actiones, vt supra ad primum Altare. Pater noster, &c.

O IESV Rex amabilis, totusque desiderabilis, memento doloris, quem habuisti,

habuisti, quando nudus & miserabilis in cruce pependisti: & noti ac amici tui aduersum te steterunt; & nullam consolationem inueniebas, nisi solam dilectam Genitricem in agone tibi fidelissime assistentem: cui discipulum tuum commendasti dicens: Mulier ecce filius tuus; & ad discipulum; Ecce mater tua. Rogo te IESV desideratissime per gladium doloris, qui tunc eius animam pertransibat, & per Patris æterni beneplacitum, ex te ac meritis tuis, vt Ecclesiam tuam exaltes, eius Principes concordes, hæreses extirpes; mihi N. N. dones.

Tu autem Deus totius consolationis, Pater eiusdem Redemptoris nostri per illa, quæ tunc salutis nostræ causa sustinuit, Ecclesiæ tuæ quęsumus, &c. *Vt supra.* Aue Maria, &c.

O dolorosissima & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

AD QVARTVM ALTARE.

Ceu ad sanctam Mariam Maiorem.

Memoria protestationis Christi Domini ad Patrem factæ.

Gratiarum actiones, vt supra ad primum Altare. Pater noster, &c.

O Regalis virtus iubilusque mentalis memento angustiæ, quam passus es, quando pre mortis amaritudine, & a

Iudæo-

Iudæorum insultatione, cum magna voce te à Deo Patre relictum clamasti dicens: Eloi Eloi, Lamma sabacthani, quod est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Per hanc patientissime IESV angustiam peto, vt Ecclesiam tuam exaltes, eius Principes concordes, hæreses extermines: mihi vero peccatori N. N. dones.

Tu autem ò Creator & custos hominum Deus Pater, propter illas amaritudines, & dolores, quibus tunc dilectus Filius tuus, cum sic ad te clamaret, oppressus fuit, Ecclesiæ tuæ quęsumus, &c. *Vt supra ad primum Altare*.
Aue Maria, &c.
O dolorosissima, &c. *Vt supra ad primum Altare*.

AD QVINTVM ALTARE,

Seu ad S. Laurentium extra muros.

Memoria sitis IESV in Cruce.

Gratiarum actiones, vt supra ad primum Altare. Pater noster, &c.

O IESV fons inexhaustæ pietatis, dulcedo cordium, ingensque suauitas mentium, qui ex intimo dilectionis affectu in cruce dixisti: Sitio, scilicet salutem humani generis: accende quæsumus nostrum desiderium ad omne opus perfectum, & sitim carnalis concupi-

cupiscentiæ,& æstum mundanarum delectationum in nobis penitus refrigera, & extingue: Per amaritudinem autem aceti & fellis, quam pro nobis sustinuisti in cruce, & degustasti, concede orthodoxis Principibus veram concordiam, toti Ecclesiæ tuæ pacem, & exaltationem, hæresibus exterminium. Mihi vero peccatori N. N. largiri digneris.

Tu autem Deus Pater, apud quem est fons vitæ, propter illam ardentissimam sitim salutis peccatorum, qua dilectus Filius tuus in Cruce æstuabat, & propter eius corpus, & sanguinem, nobis in altari relictum: Ecclesiæ tuæ quæsumus preces,&c. *vt supra ad primum Altare.* Aue Maria,&c.

O dolorosissima, & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

AD SEXTVM ALTARE,

Ceu ad SS. Fabianum, & Sebastianum.

Memoria Commendationis S. Spiritus IESV in manus Dei Patris.

Gratiarum actiones, vt supra ad primum Altare. Pater noster,&c.

O IESV vnigenite altissimi Patris, splendor,& figura substantiæ eius, memento subnixæ commẽdationis, qua spiritum tuum Patri commendasti, dicens: In manus tuas Domine, commendo

do Spiritum meum; & lacerato corpore, ruptoque corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expirasti: Per hãc dulcissime IESV pretiosissimam mortem tuam deprecor te, vt Ecclesiæ tuæ exaltationem, & Catholicis Principibus veram concordiam largiaris, hæreses extermines: mihi N. N. dones.

Tu autem Pater, & Domine vniuersorum, qui vniuersa palmo concludis; per amabilitatem Spiritus IESV in manus tuas commendati, & per omnem contentationem, quam in & ex eo per omnem æternitatem habes, Ecclesiæ tuæ, &c. *vt supra ad primum Altare.*

Aue Maria, &c.

O dolorosissima, & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.*

AD SEPTIMVM ALTARE,

Seu ad S. Crucem in Hierusalem.

Memoria Protestationis Domini IESV de consummatione operis nostræ salutis.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

Pater noster, &c.

O IESV veritatis speculum, vnitatis signum, & charitatis vinculum, memento innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à summo capitis, ad ima

vsque

vsque pedum vulneratus fuisti, & ab impijs Iudæis laceratus, & sanctissimo sanguine tuo rubricatus. Quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertulisti pro nobis. Memento item doloris, quem passus es; cum omnes vires corporis, & cordis tui penitus defecerunt, & inclinato capite dixisti: Consummatum est. O amabilissime IESV, quid vltra facere debuisti quod non fecisti? Scribe quæso omnia vulnera tua in corde meo pretiosissimo sanguine tuo, vt in illis legam dolorem, & amorẽ tuum, vt eorum memoria, apud secretum cordis mei remaneat, & dolor passionis tuæ in me quotidie renouetur. & amor augeatur, vsque dum perueniam ad te desideratum thesaurum omnium bonorum, & gaudiorum repletum. De cuius plenitudine, exterminatis hæresibus largire Ecclesiæ tuæ pacem, & exaltationem, eiusque Principibus veram concordiam; largire quæso per vltimum dolorem tuum in cruce, & angustiam; largire mihi peccatori in vltima consummatione vitæ exitus mei cum anima mea anxiata fuerit, & spiritus conturbatus; in illa, inquam, consummatione mei, largire pijssime, misericordissime, amabilissime IESV mi, largire supplex exposco, finalem misericordiam, & gratiam.

Tu autem principium & finis omnium Deus Pater, qui illis omnibus propter

scelera nostra dilectum Filium tuum percussisti, propter consummationem operis, quod in manus eius dedisti, vt faceret, & propter ipsius consummati operis pondus, & valorem, quem apud te habet: propter merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, omnium Sanctorum, & præcipue huius altaris Patronorum, Ecclesiæ tuæ quæsumus, &c. *Vt supra ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O dolorosissima, & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.* Credo, &c.

Versus, & collectæ, *ad placitum ex supra datis.*

CVLTORI DEIPARÆ.

Ex hac quoque praxi Corona Deiparæ plectetur, si exclusis ad Deum Patrem precationibus, & ipsis annexis collectis, sola ad Dominum IESVM Orationibus Dominicis in Corona dici solitis subijciantur, precatio autem ad Beatissimam Virginem MARIAM post singulas decades, & vltimam triadem repetatur. Quam etiam sic ordiri poteris.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandũ me festina. Gloria Patri, &c.

AVe admirabilis ô crux benedicta.
Tua vis est stabilis sẽper & inuicta
Per te turba fragilis dęmonũ est victa.
Palma mihi stabilis sis contra delicta.
Aue semper florida ô crux pretiosa,

Tua

Tua virtus viuida, atque gratiosa
Sanet mentis morbida, & quæ vitiosa.
Nec sit vltra fœtida, nec Deo exosa.
Aue meum gaudium, ò crux dulce lignū
Ornata per Filium Virginis benignū,
Sis contra dęmonium mihi iuge signū,
Ne per iter deuium imiter malignum.
Aue mea gloria, ò crux laus cunctorum.
Ad se traxit omnia per te Rex Cœlorum.
A me fuga noxia cuncta vitiorum
Et me sic ad gaudia perduc Angelorum. Amen.

Dignare me laudare te Virgo sacrata.
Da mihi virtutem, &c.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, &c.
O IESV cœlestis medice recordare languoris, &c. Aue Maria, &c. *Post* IESVS *in decade*.

I. Qui pendens in cruce pro suis crucifixoribus Deum Patrem exorauit.
II. Qui pendens in cruce latroni confitenti Paradisum repromisit.
III. Qui pendens in cruce, tibi Ioannem, & te Ioanni commendauit.
IV. Qui pendens in cruce, à Deo Patre se derelictum voce magna clamauit.
V. Qui pendens in cruce, salutem animarum se sitire professus est.
VI. Qui pendens in cruce sanctum Spiritum suum in manus Dei Patris commendauit.
In VII. triade. Qui pendens in cruce,

scelera nostra dilectum Filium tuum, percussisti; propter consummationem operis, quod in manus eius dedisti, vt faceret, & propter ipsius consummati operis pondus, & valorem, quem apud te habet: propter merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, omnium Sanctorum, & præcipue huius altaris Patronorum, Ecclesiæ tuæ quæsumus, &c. *Vt supra ad primum Altare.* Aue Maria, &c.

O dolorosissima, & in omnibus, &c. *Vt supra ad primum Altare.* Credo, &c.

Versus, & collectæ, *ad placitum ex supra datis.*

CVLTORI DEIPARÆ.

Ex hac quoque praxi Corona Deiparæ plectetur, si exclusis ad Deum Patrem precationibus, & ipsis annexis collectis, sola ad Dominum IESVM Orationibus Dominicis in Corona dici solitis subijciantur, precatio autem ad Beatissimam Virginem MARIAM post singulas decades, & vltimam triadem repetatur. Quam etiam sic ordiri poteris.

DEus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandũ me festina. Gloria Patri, &c.

AVe admirabilis ò crux benedicta.
Tua vis est stabilis sẽper & inuicta
Per te turba fragilis dęmonũ est victa.
Palma mihi stabilis sis contra delicta.
Aue semper florida ò crux pretiosa,

Tua

Tua virtus viuida, atque gratiosa
Sanet mentis morbida, & quæ vitiosa.
Nec sit vltra fœtida, nec Deo exosa.
Aue meum gaudium, ò crux dulce lignũ
Ornata per Filium Virginis benignũ,
Sis contra dęmonium mihi iuge signũ,
Ne per iter deuium imiter malignum.
Aue mea gloria, ò crux laus cunctorum.
Ad se traxit omnia per te Rex Cœlorum.
A me fuga noxia cuncta vitiorum
Et me sic ad gaudia perduc Angelorum. Amen.

Dignare me laudare te Virgo sacrata.
Da mihi virtutem, &c.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster, &c.
O IESV cœlestis medice recordare languoris, &c. Aue Maria, &c. *Post* IESVS *in decade*.

I. Qui pendens in cruce pro suis crucifixoribus Deum Patrem exorauit.
II. Qui pendens in cruce latroni confitenti Paradisum repromisit.
III. Qui pendens in cruce, tibi Ioannem, & te Ioanni commendauit.
IV. Qui pendens in cruce, à Deo Patre se derelictum voce magna clamauit.
V. Qui pendens in cruce, salutem animarum sę sitire professus est.
VI. Qui pendens in cruce sanctum Spiritum suum in manus Dei Patris commendauit.
In VII. triade. Qui pendens in cruce, opus

opus salutis nostræ se consummasse voce, & morte sua confirmauit.

Post singulas autem decades, & vltimam triadem repetes precationem.

O dolorosissima,&c. Credo,&c.

Antiphonam & collectas ex superioribus, quæ placuerint.

Oratio Ægidij Magni.

Salue sancta facies nostri Redéptoris,
In qua nitet species diuini splendoris.
Impressa panniculo niuei coloris.
Dataque Veronicæ in signum amoris.
Salue decus sæculi, speculum Sanctorũ.
Quam videre cupiũt spiritus cœlorũ
Nos ab omni macula purga vitiorũ.
Atque nos consortio iunge beatorũ.
Salue nostra gloria in hac vita dura,
Labili, & fragili, cito transitura,
Nos perduc ad patriam, ò felix figura
Ad videndam faciem, quæ est Christi pura.
Esto nobis quæsumus tutum adiuuamen
Dulce refrigerium atque consolamẽ,
Vt nobis non noceat hostile grauamẽ.
Et fruamur requie, dicat omnis, Amen.

QVINTA

QVINTA PHIALA
SEV QVINTA PRAXIS

Visitandi Septem priuilegiata Altaria memorijs septem Stationum Christi IESV gloriosi instructa.

AD PRIMVM ALTARE,

Ceu ad S. Ioannem in Laterano,

Memoria Stationis IESV rediuiui, cum Magdalena ad sepulchrum.

Gratiarum actiones, vt in Praxi præcedēti.

IVBILVS D. BERNARDI ABBATIS.

IESV dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia
Sed super mel & omnia
Eius dulcis præsentia.
Nihil canitur suauius,
Auditur nil iucundius,
Nihil cogitatur dulcius
Quam IESVS Dei Filius.
IESV spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid inuenientibus?

IESV dulcedo cordium
Fons viuus lumen mentium
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere
Nec litera exprimere.
Expertus potest credere
Quid sit IESVM diligere.
IESVM quæram in lectulo
Clauso cordis cubiculo
Priuato, & in publico
Quæram amore sedulo.
Cum MARIA diluculo
IESVM quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus
Locum replens gemitibus
IESV prouoluar pedibus
Strictis hærens amplexibus.
Pater noster, &c.

MOrtis destructor, & inferni prædator gloriosissime IESV Christe, cum omnibus Sanctis tuis gratulor tibi de omni decore, & gloria, quam à mortuis resurgendo induisti. Per amorosam autem stationem illam, qua ardenter amanti, & peramanter quærenti & in quærendo perseueranti, Mariæ Magdalenæ ad monumentum tuum in forma hortulani adstitisti, & amantissimo verbo tuo animam eius liquefecisti, per gloriã quoque Resurrectionis tuæ, & merita sanctissimæ Virginis Matris tuæ, om-

omniumque & præcipue huius Altaris Sanctorum Patronorum, diuinæ maiestati tuæ supplico, vt Sanctam Ecclesiam tuam exaltes, & eius Principibus veram concordiam dones, hæresum & schismatum zizania eradices, in omnibus nobis amoris tui, & aliarum virtutum virentia plantes, tuam præsentiam semper desiderare, desiderantes te quærere, quærẽtes te inuenire, inuenientes amore tuo liquefieri, liquefactos in odore tuarum virtutum post te currere, currẽtes nos facias beate ad te peruenire, qui es vita, & resurrectio nostra IESV gloriosissime. Amen. Aue Maria, &c.

REgina Cœli, lætare Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit, sicut dixit Alleluia. Ora pro nobis Deum per gloriosam resurrectionem Filij tui, & eius amabilitatem, illamque amorosam statiunẽ, qua se Magdalenæ ad monumentum manifestauit. Humiliter Domina mea clementissima rogo impetres hæreseon & schismatum e vinea Domini Sabbaoth exterminationem, concordiam Principibus Catholicis, toti Sanctæ Ecclesiæ pacem & exaltationem. Nobis vero abundantiorem de cœlo benedictionem, qua peccatorum spinis, & tribulis vitiorum, igne amoris diuini in nobis absumptis, virtutum germina vberius assurgant, quibus ad finem vitæ mortalis post Saluatorem nostrum indefesse currentes,

ad cœlestem Hierusalem feliciter tandem perueniamus, ibique Deum, & Redemptorem nostrum beati videamus te intercedēte, & impetrante admirabili Virgine Matre Dei benedicta, & gloriosa in sæcula. Amen.

Sancti Dei omnes intercedere, &c. *Ex præcedente praxi.*

AD SECVNDVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Petrum.

Memoria Stationis IESV Christi rediuiui in Emmauntino diuersorio cum duobus discipulis.

Gratiarum actiones, vt supra.

IESV Rex admirabilis
Et triumphator nobilis
Dulcedo ineffabilis
Totus desiderabilis:
Mane nobiscum Domine
Et nos illustra lumine
Pulsa mentis caligine
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas
Tunc lucet ei veritas
Mundi vilescit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Amor IESV dulcissimus,
Et vere suauissimus
Plus millies gratissimus
Quam dicere sufficimus.

Hoc

Hoc probat eius passio
  Hoc sanguinis effusio,
  Per quem nobis redemptio
  Datur, & eius visio.
IESVM omnes cognoscite.
  Amorem eius poscite
  IESVM ardenter quærite
  Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite
  Amoris vicem reddite.
  In hunc odorem currite.
  Et vota votis reddite.
IESVS auctor clementiæ
  Totius spes lætitiæ
  Dulcoris fons & gratiæ
  Veræ cordis delitiæ.
IESV mi bone sentiam
  Amoris tui copiam.
  Da mihi per præsentiam
  Tuam videre gloriam.
Cum digne loqui nequeam,
  De te tamen ne sileam
  Amor facit vt audeam
  Cum solum de te gaudeam.
Tua IESV dilectio
  Grata mentis refectio
  Replens sine fastidio
  Dans famem desiderio.
Qui te gustant esuriunt
  Qui bibunt adhuc sitiunt.
  Desiderare nesciunt
  Nisi IESVM quem diligunt.
Quem amor tuus inebriat.
  Nouit quid IESVS sapiat.

Quam felix est quem satiat
Non est vltra quod cupiat.
Pater noster,&c.

IESV Nazarene potens in opere, & sermone, Israel redemptor gloriosissime, gaudeo, & cum omnibus Sanctis tuis gratulor tibi de omni gloria & honore, quibus te Deus Pater à mortuis resurgentem coronauit. Per illam autem gloriosam, & salutarem stationem, quam in diuersorio Emmauntino cum duobus Discipulis habuisti, & eos verbis tuis inflammatos tuique amore diffluentes corpore tuo & sanguine refecisti, refectos denique ad te cognoscendum illuminasti: per horum mysteria & merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, ac omnium, præcipue huius altaris Patronorum, sanctorum, humiliter rogo, vt Sanctam Ecclesiam tuam exaltes, & contra hæreticos sermonis, & operis tui potentiam exeras, Principibus veram concordiam, & peregrini sui incolatus cognitionem dones. Sacris animarum rectoribus sermonem sapientiæ, & sciētiæ adaugeas. Omnes orthodoxos in pace & vnanimitate conserues; in omnibus nobis fidem, spem & charitatem perficias, ab indigna corporis tui, & sanguinis sumptione nos præserues, memoriam passionis & mortis tuæ in nobis perennare facias, & vsque ad finem vitæ præsentis per gratiam nobiscum manēs, sanguine tuo à maculis peccatorum

emundatos, tandem ad Regnum tuum nos deducas & introducas, in quo cum Deo Patre, &c.
Aue Maria, &c.

Regina cœli, &c. Ora pro nobis Deũ per Sacramentum Corporis & sanguinis IESV Christi Filij tui, & Domini nostri, per gloriam, & amabilitatem eius rogo, vt impetres Sanctæ Ecclesiæ pacem, & exaltationem, eius Principibus veram concordiam, hæresibus & schiſmatibus extirpationem, nobis ab omni cordis duritia, & cæcitate liberationem & præseruationem, per omnes vias præsentis nostræ peregrinationis, cum Deo nostro integram vnionem, Corporis & sanguinis IESV nostri dignam participationem, & felicem tandem ad cœlestem patriam deductionē, per te ô misericordissima aduocata peccatorum benedicta in sæcula. Amen.

AD TERTIVM ALTARE,

Seu ad Sanctum Paulum.

Memoria stationis IESV Christi rediuiui in medio Discipulorum Thoma absente.

Gratiarum actiones, vt supra.

IESV decus Angelicum
In aure dulce canticum

In ore mel mirificum
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies
Mihi IESV quando venies
Me lætum quando facies
Me de te quando saties.
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus
Mihi fructus mellifluus
Est & vitæ perpetuus.
IESV summa benignitas
Mira cordis iucunditas
Incomprehensa bonitas
Tua me stringit charitas.
Bonum mihi diligere
IESVM nihil vltra quærere
Mihi prorsus deficere
Vt illi queam viuere.
Pater noster, &c.

AEternæ pacis Princeps gloriosissime IESV Christe cum omnibus sanctis Angelis, & hominibus gratulor tibi, de omni gloria, quam resurgendo induisti. Humillime autem supplico Diuinæ Maiestati tuæ; per gaudiosam stationem illam, qua ad vesperum gloriosæ diei illius, qua ab inferis gloriosus victor redijsti, ad Discipulos tuos ianuis clausis ingressus, in medio eorum constitisti, pacem conturbatis denũciasti, vulnera gloriosi corporis de te dubitantibus ostendisti, cibique oblati sumptione carnis tuæ rediuiuæ veritatem comprobasti; atque gaudentibus in te; & de te

sanctum

sanctum Spiritum insufflasti. Per omnia illa, quæ à Patre missus in mundum es passus, & illa quæ missi à te in orbem vniuersum amore tui sunt perpessi; sed & per gloriam, ac honorem, quibus te Deus Pater pro omnibus illis coronauit, Ecclesiam tuam vt pacifices & exaltes, Christianos Principes concordes, hæreses extermines, obduratorum corda gratia tua penetres, in tuo Euangelio sincere laborãtes septiformi Spiritu tuo repleas, vulneribus tuis animabus nostris medearis, pacem denique æternam in te nobis dones IESV Christe super omnia amabilis, & gloriose. Amen.

Aue Maria, &c.

REgina cęli, &c. Ora pro nobis Deũ per gloriosam Filij tui resurrectionem, & illam eius stationem, quã ad Discipulos ianuis clausis ita ingressus, sicut integro virginitatis signaculo ex te in mundum in salutem populi sui fuerat egressus, in medio eorum constitit, pacem eis obtulit, suaque pręsentia recreatos Spiritu sancto illuminauit, sed & per amabilitatem eiusdem Filij tui, & Domini nostri rogo impetres, vt Sancta Ecclesia in omnibus exaltetur, Principes Christiani in concordia seruentur, hæreses exterminentur, vt eius vulneribus in animabus nostris sanemur, ad omne opus salutare Spiritu sancto incitemur, pretiosissimo Redemptoris nostri sanguine ab omni sorde mũdanæ, atque

carnalis conuersationis abluti, & emundati, pacem cum Deo nostro, & proximis nostris inuiolatam habeamus, & tandem in cœlesti Hierusalem æterna pace perfruamur in qua viuis, & regnas benedicta in sæcula. Amen.

Sancti Dei omnes intercedere dignemini, &c. *vt supra*.

AD QVARTVM ALTARE,

Ceu ad Sanctam Mariam Maiorem.

Memoria Stationis IESV Christi rediuiui cum mulieribus à monumento ingredientibus.

Gratiarum actiones, vt supra.

O IESV mi dulcissime
Spes suspirantis animæ
Te quærunt piæ lacrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero
Mecum IESVM desidero,
Quam lætus cum inuenero
Quam felix cum tenuero.
Tunc amplexus, tunc oscula
Quę vincant mellis pocula.
Sed in his parua morula
IESVM sequar per sæcula.
Iam quod quæsiui video
Quod concupiui teneo.
Amore IESV langueo
Et corde totus ardeo.

IESVS

IESVS cum ſic diligitur
Hic amor non extinguitur.
Non tepeſcit nec moritur
Pluscreſcit & accenditur.
Hic amor ardet iugiter
Dulceſcit mirabiliter
Sapit delectabiliter
Et delectat feliciter.
Hic amor miſſus cælitus
Hæret mihi medullitus.
Mentem accendit penitus
Hoc delectatur ſpiritus.
O beatum incendium
O ardens deſiderium,
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium.
Pater noſter,&c.

FIdeliſſime, & amabiliſſime ſponſe animarum ſanctarum IESV Chriſte à mortuis rediuiue, omnes beatificos omnium ſanctorum amores offero tibi pro decore & gloria, quam reſurgendo à mortuis induiſti, ac per amabiliſſimam ſtationem illam, qua cum ſanctis mulieribus à monumento tuo regredientibus eiſdem occurrens, ſtetiſti, eaſque ſalutatas verbo Auete, tui amore liquefactas, ad ſacratiſsimos pedes tuos tenendos admiſiſti, & preſentia tua amabiliſsima recreatas, cum nuncio reſurrectionis tuæ ad Apoſtolos eaſdem miſiſti. Per illorum myſteria, & per merita Beatiſsimæ Virginis matris tuæ, omniũ, ac præcipue altaris huius ſanctorum

humiliter rogo digneris viam mandatorum tuorum decurrentibus, cum omni copia gratiarum occurrere, nomen tuum fratribus suis annunciantibus, os, & sapientiam, cui Ecclesiæ tuæ hostes nequeant resistere, dare, peccatis grauioribus oppressos gratia subleuare, tibique attrahere, amore seculi infatuatos amore tui inflammare, tui autem amore æstuantes, beata tua præsentia recreare, totam Ecclesiam tuam pacificare, coadunare, & exaltare: mihi vero peccatori in omnibus tuam voluntatem sequi, ac perficere, præter te nihil omnino amare, ac denique te in æterna beatitudine apprehendere, atque tenere concedas Deus meus & omnia. Amen. Aue Maria, &c.

Regina cœli, &c. Ora pro nobis Deũ per Resurrectionem IESV Christi Filij tui Domini nostri, & eiusdem amabilitatem, atque amorem, quo sanctis mulieribus à monumento regredientibus occurrere, easque & salutare & ad amplexus sacratissimorum pedum suorum admittere est dignatus, rogo impetres pacem, & exaltationem Ecclesiæ Dei, Christianis Principibus concordiã, hæresum extirpationem: mihi vero peccatori N. N. & in necessitatibus, tam corporalibus quam spiritualibus salutarem Dei succursum, omnimodam cum Deo meo vnionem, & tandem eiusdem beatificam comprehensionem, cum

quo

quo regnas beata in æternum. Amen.
Sancti Dei omnes intercedere, &c. *Vt supra.*

AD QVINTVM ALTARE,

Seu ad S. Laurentium extra muros.

Memoria Stationis IESV Christi rediuiui in medio Discipulorum Thoma præsente.

Gratiarum actiones, vt supra.

IESV flos matris Virginis
Amor nostræ dulcedinis
Tibi laus, honor numinis
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime
Pater immensæ gloriæ
Affulge menti clarius
Iam expectate sæpius.
Pater noster, &c.

O Bone Pastor, & Pater omnium misericordissime IESV Christe, qui requirens, & congregans oues tuas dispersas, redux ab inferis sæpius eas visitans in medio Discipulorum iterato constitisti, eisque tuo sanguine pacem emptam iterato offerens, dum cicatrices vulnerum in glorioso corpore tuo Thomæ dubitanti palpanda exhibuisti, in eo, & in nobis vulnera infidelitatis sanasti, atque ad fidem reducti Apostoli glo-

gloriosa de tua diuinitate suscepta confessione, futuram fidelium tuorum credulitatem beatificasti. Per hanc misericordiam & Patris æterni ex tua gloria contentationem, per gloriam Resurrectionis, de qua tibi animis omnium beatorum gratulor, per merita sanctissimæ Virginis Matris tuæ, omnium Sanctorũ, præcipue vero huius altaris sanctorum Patronorum, diuinam maiestatem tuam humiliter exoro, vt fidem tuam infidelibus infundere, in errantibus eandem viuificare, in tuis autem fidelibus digneris adaugere: Ecclesiam tuam pacificare & exaltare, hæreses extirpare, & Christianos Principes concordare. Me vero peccatorem, suppliciter rogo, ne derelinquas in cogitatu, aut facto maligno, neque finas me abire post meas adinuentiones, sed errantem me ad te misericorditer reducas, reductum in tuo amore instituas, inque eo institutum finaliter conserues, donec in æterna beatitudine credita videam & experiar, totusque in te transformer Dominum meũ & Deum meum super omnia amabilem. Amen. Aue Maria, &c.

REgina cœli, &c. Ora pro nobis Deũ per gloriosam & salutarem stationem illam amabilissimi Filij tui, qua in medio Discipulorum iterato consistens, Thomæ infidelitatem, palpatis in se gloriosis vulneribus sanauit, & in eo nostram fidem instruxit: per eius quoque ama-

amabilitatem rogo, vt tua intercessione sanctam Ecclesiam exaltet, Principes pacificet, hæreses exterminet, animis nostris sua sacra vulnera inscribat, eorum sanguine maculas peccatorum nostrorum eluat, & vsque ad mortem fideles nos sibi efficiens, & in bono finaliter cõseruatos æternæ beatitudinis participes nos faciat Dominus virtutum, & Rex gloriæ IESVS Christus superexaltatus in sæcula. Amen.

AD SEXTVM ALTARE,

Seu ad SS. Fabianum, & Sebastianum,

Memoria IESV Christi Stationis cum septem Discipulis ad littus maris.

Gratiarum actiones, vt supra.

IESV Sole serenior,
Et balsamo suauior
Omni dulcore dulcior
Cæteris amabilior.
Cuius gustus sic afficit.
Cuius odor sic reficit.
In quo mens mea deficit
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio
Amoris consummatio
Tu mea gloriatio
IESV mundi saluatio.

Mi

Mi dilecte reuertere
Consors paternæ dexteræ
Hostem vicisti prospere
Iam cœli Regno fruere.
Sequar te quocunque ieris
Mihi tolli non poteris
Cum meum cor abstuleris,
IESV laus nostri generis.
Pater noster,&c,

IVcundissime Sol iustitiæ illuminans, & fouens omnia IESV Christe, gaudeo & cum sanctis omnibus gratulor tibi de omni fructu, & gloria passionis, mortis, & Resurrectionis tuæ: simul autem Diuinā Maiestatem tuam suppliciter rogo per gloriosam stationem illā, qua post Resurrectionem septem Discipulis frustra in piscando laborantibus in litore apparens copiosa multitudine piscium eorum rete implesti, e mari ad terram descendentes pane & asso pisce suauiter refecisti, & denique Petrus, vt tuæ passionis vestigia sequeretur, Discipulus vero singularis dilectionis tuæ priuilegio honoratus vt sic maneret, te velle declarasti. Per horum mysteria & tuæ gloriam resurrectionis iterato supplico, vt in tenebris infidelitatis sub iugo diaboli misere laborantibus lumen veritatis tuæ ostēdas, hæresum, ac schismatum iactatos fluctibus, ad fidam tuæ fidei stationem reducas, Doctores Ecclesiæ tuæ sincero affectu doctrinas tuas in capturam hominum laxare facias, eo-

rumque

rumque Catholico reti quomodocumque errantes concludas, & ab omni hæresum scissione & discordia Principum Ecclesiam tuam liberes, totamque pacifices & exaltes. Nos vero peccatores perenni memoria passionum, tuæque mortis pascas, & tui sincero amore animas nostras inebries, atque ad felicem vitæ præsentis finem deductos ad cœleste conuiuium nos inuites, inque eo nos beatifica tui visione saties IESV Christe vita, & resurrectio nostra. Amen. Aue Maria, &c.

Regina cœli, &c. Ora pro nobis Deũ per gloriosam stationem illam, qua IESVS Christus Filius tuus Dominus noster post resurrectionem suam septem Discipulis in piscando laborantibus adstitit, & ad se in terram venientes prandio apparato excepit. Per horum mysteria, & eiusdem Filij tui amabilitatem humiliter rogo, vt impetres in Euangelio Filij tui laborantibus gratiarum abundantiam, vt per eos sancta Ecclesia nouo semper fœtu multiplicetur, quæ etiam ab hæresibus & schismatibus euindicata pace, & concordia decoretur, inque omnibus exaltetur. Omnes vero Dei, ac tui sinceri cultores inter fluctus mundi huius illæsi conseruemur, corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi semper, & præcipue in hora mortis nostræ digne reficiamur, & tandem præsenti mortalitate in amore Dei

finita

finita ad æternum cœleste conuiuium introducamur per te Aduocatam, & tutissimum refugium peccatorum Virgo Mater MARIA benedicta in sæcula. Amen.

AD SEPTIMVM ALTARE,

Ceu ad Sanctam Crucem in Hierusalem.

Memoria Stationis IESV Christi cum vndecim Apostolis in monte Galilææ vnde in cœlum ascendit.

COeli ciues occurrite
Portas vestras attollite
Triumphatori dicite
Aue IESV Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ
Rex insignis victoriæ
IESV largitor veniæ
Honor cœlestis curiæ.
Tu fons misericordiæ
Tu vere lumen patriæ.
Pelle nubem tristitiæ
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cœli chorus prędicat,
Et tuas laudes replicat
IESVS orbem lætificat
Et nos Deo pacificat.
IESVS in pace imperat,
Quę omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et illa frui properat.

IESVS

IESVS ad Patrem redijt
Cœleste regnum subijt;
Cor meum à me transijt:
Simul post IESVM abijt.
Quem prosequamur laudibus
Votis, hymnis & precibus
Vt nos donet cœlestibus
Secum perfrui sedibus. Amen.
Pater noster, &c.

DOminator Domine Deus solus vniuersorum potestatem habens, & à Deo Patre Iudex viuorum & mortuorum constitutus IESV Christe, affectibus omnium Sanctorũ, qui in cœlo, & in corde tuo sunt, gratulor tibi de omni gloria, & honore, quibus propter passionem mortis tuæ à Deo Patre es coronatus, atque de eius omni contentatione, quam in æternitate habet ex fructu vitæ, passionis, mortis & gloriæ tuæ. Per quæ ac simul per gloriosam stationem illam, qua in præsignato monte Galilææ vndecim Apostolis apparuisti, & illis benedicens in cœlum ascendisti, sicque gloriosam humanitatem tuam ad dexteram Dei Patris euexisti, atque ab inde stato tempore promissum Spiritum sanctum in Apostolos & credentes visibiliter demisisti. Per hæc, inquam, Diuinæ Maiestati tuæ humiliter supplico, vt omnibus infidelibus tui cognitionem largiaris, omnesque à mundo, carne, & diabolo ad te legesque tuas transmigrare facias, omnes sathanæ vires, quas per hæreti-

cos,

cos, discordes Principes & quoscunque tibi rebelles in sanctam Ecclesiam tuam exerit, omnipotenti dextera tua conteras, omnes nos laude tua infrænes, nostris ad bonum cæcitatibus & languoribus, concupiscentiæ motibus, & ad omne malum propẽsionibus medearis, corda nostra tui amore inflammata, in cœlum post te abire, ibique tecum conuersari facias, & tandem pręsenti peregrinatione feliciter consummata, ad regna cœlorum post te nos trahas IESV laudabilis, & superexaltatus Deus in sæcula. Amen. Aue Maria, &c.

REgina cœli, &c. Ora pro nobis Deũ per vltimam Stationem amabilissimi Filij tui cum vndecim Discipulis in monte Galilæę habitam, per gloriosam Ascensionem eius, & amabilitatem humiliter rogo, vt IESVS Christus Dominus noster Ecclesiam suam in omnibus coadunet, pacificet, regat, & exaltet, vt in ea laborãtibus Spiritus septiformis virtutes adaugeat, suosque operarios multiplicet, ac per eos, & semina frugum iustitiæ errantibus inseminet, & incredulos ad prudentiam sanctorum conuertat, vt nos omnes à carnali conuersatione ad cœlestem transmigrare faciat; contra ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam, suam nos bonitatem, disciplinam, & scientiam edoceat, suoque spiritu in omni opere bono nos confirmet, & tandem in sua gratia finaliter

liter perseuerantes, in regnum cœlorum nos post se introducat Saluator noster laudabilis, gloriosus, & superexaltatus in sæcula. Amen.

Credo in Deum, &c.

Concludes aliqua ex præcedentibus aliarum praxium conclusionibus.

ORATORI PARTHENIO.

SVper omnes benedictam, & amabilem Virginem Deiparam Corona sua honoraturus, eius formam etiam huic praxi facile induces, arte in alijs præmissis praxibus præscripta, huic quoque modo simili applicata. Quodsi gloriosæ IESV Christi Resurrectionis historiæ magis quam Iubilo Beatissimi Patris nostris BERNARDI (cui ego serie præsenti stationum ex instituto litaui) seruire malueris, primæ stationi præsentis ordinis quartam eiusdem loco secundo substitues & huic tertiam; & sic in vlteriore stationum processu, exclusa & alio ablegata quarta, reliquas ordine suo prosequeris iuxta expressiones dictarum stationum in Angelicis salutationibus post IESVS adnotandas. *Et si libuerit, poteris sic ordiri.*

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus in adiutorium, &c. Domine ad adiuuandum, &c. Gloria Patri, &c.

IESV nostra redemptio,
Amor & desiderium
Deus Creator omnium
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia
Vt ferres nostra crimina
Crudelem mortem patiens
Vt nos à morte solueres.
Inferni claustra penetrans
Tuos captiuos redimens
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.
Ipsa te cogat pietas
Vt mala nostra superes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu saties.
Tu esto nostrum gaudium
Qui es futurum præmium
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula. Amen.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster &c.
Mortis destructor, &c. *Vt supra pag.* 122.
Aue Maria *decies: post decimum.*
Regina cœli, &c. *Et sic in alijs decadibus & vltima triade. Porro stationes sic decadibus applicabis. Post IESVS in decade.*

I. Qui post Resurrectionem suam Magdalenæ ad suum monumentum flenti primo apparuit.

II. Qui post resurrectionem suam mulieribus à monumento regredientibus occurrens, amabilissime eas salutauit.

III. Qui post Resurrectionem suam Disci-

Discipulos duos in Emmaus amore sui inflammatos sanctissimo Corpore suo refecit, & illuminauit.

IV. Qui die Resurrectionis suæ ad vesperum Apostolis apparens pacem eis annunciauit.

V. Qui octauo Resurrectionis suæ die iterum Apostolis apparens, errantem Thomam ad fidem reduxit.

VI. Qui post Resurrectionem suam septem Discipulis ad littus maris apparens ad secum prandendum dulciter eos inuitauit.

In triade VII. Qui post Resurrectionem suam in monte Galilææ Apostolis apparens, ipsis videntibus in coelum ascendit.

Credo in Deum, &c.

Antiphona de B. MARIA, & orationes, quæ placuerint, &c.

SEXTA

SEXTA PHIALA
SEV SEXTA PRAXIS

Septem Altaria Priuilegiata visitandi per sex decades, & septimam triadem Angelicarum salutationum, Corona Deiparæ comprehensarum circumducta.

AD PRIMVM ALTARE.

Cui ad S. Ioannem in Laterano.

PRo omnibus gratijs, & decoribus Sacrosanctæ Ecclesiæ collatis sit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio,&c.

PRIMA DECAS.

Pater noster,&c.

O Misericordissime, & amabilissime IESV adoro, laudo, & benedico te super omnia pro infinita bonitate, & misericordia tua, qua pro mundi redemptione humanam carnem ex intemerata Virgine MARIA assumere es dignatus: atque eandem octauo Natiuitatis tuæ die circumcidi quod sis passus. Pro hac & charitate, & sanguinis tui effusione gratias agens suppliciter rogo, vt Eccle-

siæ tuæ pacem & exaltationem, Principibus Christianis concordiam, extirpationem hæreseon. N. N. largiri digneris, & me sacræ humanitati tuæ conformare, cor mundum in me creare, spiritum tuum mihi infundere, eoque omnem luxuriam de corde, & carne mea penitus auferre, ac carnalem concupiscentiam in me extinguere digneris, vt in puritate, & castissima simplicitate mentis, in vera munditia cordis, denique in pudicissima castitate corporis tibi perpetuo, & inauertabiliter adhæreã Deo meo super omnia amabili & benedicto. Amen.

Aue MARIA *decies*. *Post IESVS*.

QVem Angelo nunciante Virgo cõcepisti: & ex te natum ad circumcidendum obtulisti. Sancta Maria, &c. *Post decimum* Aue.

O Intemerata Deipara Virgo MARIA, diuinæ bonitati gratias agés, pro gratia, meritis, & gloria tibi collatis, gratulor tibi de omnibus bonis, quibus te Deus sua ex te carnis nostræ assũptione præ omnibus sanctis beatificauit. Te autem amabilis Domina mea rogo per Incarnationem Filij Dei, ac tui, & per eiusdem sãguinem pretiosum, quem in sua Circumcisione effundere dignatus est, vt impetrare digneris Ecclesiæ pacem & exaltationem, Christianis Principibus concordiam, hæresum extirpationem, N. N. N. & mihi mentis, ac

corporis puritatem, peccatorum omnium veniam, & demeritorum indulgẽtiam, bonorumque operum abundantiam, & in bono finalem perseuerantiã, quam mihi donet IESVS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Sancti huius Altaris patroni intercedere dignemini pro nostra omniumque salute. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

INfirmitatem nostram quæsumus Domine propitius respice, & mala omnia, quæ iuste meremur, Sanctorum huius Altaris Patronorum intercessione auerte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AD SECVNDVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Petrum in Vrbe.

DECAS SECVNDA.

Pater noster, &c.

O Amabilissime Saluator Domine IESV Christe laudo, & superexalto te in sæcula pro ineffabili tuo meæ salutis amore, quam adhuc materno vtero conclusus in domo Elisabeth & Zachariæ operatus es: & post instante passione tua positus in agonia, æternum

Patrem

Patrem tuum, vt tuæ passionis merita à te ad nos transferre dignaretur, humiliter exorasti. Pro his cum omnibus sanctis gratias tibi agens, per charitatem Virginis Matris tuæ, qua Elisabeth visitauit, per contentationem Dei Patris, qua te, ad patiendum sponte se offerentem, acceptauit, & per angustias, sanguineasque guttas ex te in agonia tua, in terram decurrentes, humiliter rogo, vt N.N.N. dones, & in me atque ex me omnem superbiam, omnesque eius species extermines, profundam vero humilitatem mihi infundas, qua peccata mea cognoscens, meipsum contemnam, atque ab omnibus contemni diligam, tibique per omnia, & in omnibus semper subiectus maneam Deo & Domino meo super omnia amabili: Amen.

Aue Maria *decies*. *Post* IESVS.

QVem in vtero virginali portando Elisabeth visitasti, & in sua agonia sanguine sudantem maxime doluisti. Sancta Maria, &c.

Post decimum Aue.

O Super omnes benedicta Deipara, semper Virgo MARIA, ab omni creatura laudetur, & superexaltetur Deus in sæcula pro omnibus donis, & gloria tibi collatis; de quibus tibi gratulor: & nunc præcipue de gaudio, quod habuisti, quando Elisabeth cognatam tuam visitasti, Ioanni sanctificationem attulisti, & domum Zachariæ cœlesti-

bus donis replesti. Per hæc, & simul per dolorosissimam & sanguineam dilecti Filij tui agoniam humiliter rogo, vt impetres N. N. N. & mihi feruentissimum Dei amorem, profundam humilitatem, & finalem, ac beatificam Christi Domini participationem meritorum, & gloriæ, in qua viuis, & cum eodem Filio tuo regnas benedicta in sæcula. Amen.

Sancti huius Altaris, &c. *Vt supra.*

AD TERTIVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Paulum.

Pro omnibus gratijs, & decoribus, &c. *Vt supra pag.* 144.

DECAS TERTIA.

Pater noster, &c.

O Domine vniuersorum amabilissime IESV Christe in vnione laudum & amorum, quibus te omnes cœlites amant & collaudant, gratias tibi ago, quod mei causa ex pauperrima Virgine Matre, in stabulo, inter bruta animantia pauperrime nasci, pannis inuolui, in præsepio reclinari, & modico lacte Virginis Matris ali, atque eandem carnem multiplicibus post laboribus defatigatam, flagellis dirissimis in tua passione & dilacerationibus subijcere sis dignatus. Per hæc omnia, & simul per dilectis-

lectissimæ Virginis Matris tuæ ex his susceptos dolores, suppliciter rogo, vt N. N. largiaris: & in me compescas, ac extinguas omnes iracundiæ impatientiæque motus. Nullumque sinas mitissime IESV in cor meum intrare, aut ibi morari rancorem, indignationem vel amaritudinem: sed digneris mihi infundere perfectissimam mansuetudinem, qua cuncta aduersa æquanimiter suscipiam, patientissime & cum gratiarum actione tolerem, ac tibi me totum plenissime resignem Deo meo super omnia amabili. Amen.

Aue Maria *decies*. *Post* IESVS.

QVi ex te Virgine Matre nobis natus, est pro nobis crudelissime flagellatus.

Post decimum Aue.

O Admirabilis Mater Sancta Virgo MARIA, sit sua contentatio infinitæ Dei bonitati, pro omnibus gratijs, meritis & gloria tibi collatis, & nunc præcipue pro eo quod ex te natus sit mundi Saluator. Per cuius amabilitatem & sanguinem in eius flagellatione largissime ex eo fusum, te humiliter rogo, vt N N. impetres, mihi vero vt spiritu mentis innouatus illi soli & tibi viuam, ac inter quosuis huius vitæ aduersos incursus, sine operum vindicta, verborum impatientia, & cordis amaritudine humilis, ac mitis finaliter permaneam, tuis adiutus meritis Virgo Mater

super omnes puras creaturas benedicta in sæcula. Amen.

Sancti huius altaris, &c. *Vt supra.*

AD QVARTVM ALTARE.

Ceu ad sanctam Mariam Maiorem.

Pro omnibus gratijs, & decoribus, &c. *Vt supra à pag. 144.*

QVARTA DECAS.

Pater noster, &c.

O Rex Regum & Domine dominantium IESV Christe Corona Sanctorum omnium, eorum merita, gloriæ, & laudes tibi sint in gratiarum actionẽ pro gentium ad fidem & salutem æternam vocatione, & quod passione tua mortis destruens imperium, spinis coronari sis passus. Per illos sanguinis riuos per oculos, genas, & collum tuum tunc defluentium, & dolores tunc perpessos suppliciter rogo, vt N. N. largiri digneris; & à me omnem acediam, torporem, & negligentiam radicitus tollens, deuotionem feruentissimam alacritatemque spiritus in tuo maximo seruitio mihi dones, vt amorem tui, honorem, & gloriam tuam in omnibus cor meum vehementer esuriat, ardentissimeque sitiat, adeo vt quæ extra te sunt, cuncta fastidiam; tu vero solus super omnia mihi, & in omnibus placeas

Rex meus, & Deus meus super omnia amabilis. Amen.

Aue Maria *decies*. *Post* IESVS.

QVem tres gentiles Reges à se adoratum tribus muneribus honorarũt; & Iudæi à se damnatum per gentes spinis coronarunt.

Post decimum Aue.

O Augusta Regina Sanctorum omnium Virgo MARIA, omnis IESV Christi Filij tui fructus passionis laudet Deum Patrem omnipotenté,& sanctum Spiritum, pro omnibus decoribus beatificis tibi collatis,& omni honore, qui tibi in cœlo & in terra exhibetur Domina mea clementissima. Cui humiliter supplico per gaudium quod habuisti, quando tres Magi dilectissimum Filium tuũ adorauerunt & eum auro,thure,& myrrha honorauerunt; sed & per dolores tuos, quos ex eiusdem spinosa coronatione habuisti, vt N. N. impetres: & mihi cœlestem sapientiam, qua me, & Deum cognoscens omnium aliorum nescius, solum IESVM Christum crucifixum sciam, atque ad eius contentationẽ in omnibus me geram, qui donet mihi peccatorum veniam, indulgentiam demeritorum, & in bono finalem perseuerantiam, te impetrante Gloriosissima Deipara. Amen.

Sancti huius Altaris, &c. *Vt supra.*

via Caluariæ inter latrones Crucem sibi baiulantem dolens adspexisti.

Post decimum Aue.

O Mater misericordiæ Virgo MARIA omnes beatificos amores, & laudes omnium cœlituum offerò Deo meo pro gloria & gaudijs beatificis tibi collatis. Rogo autem humiliter tum per gaudium quod habuisti ex dilectissimi Filij tui inter Doctores inuentione; tum per dolores quos sustinuisti in eiusdem ad mortem condemnatione, crucis baiulatione, vestium expoliatione, vulnerum eius renouatione, & in his omnibus eius sanguinis largissima effussione ac cóculcatione. Per hæc tibi supplico, vt N. N. impetrare digneris, & mihi, vt numquã aberrem à Deo meo, sed dilecti Filij tui vestigijs semper inhærens, vetere homine cum omnibus suis actibus exutus, & nouo superindutus, obtenta peccatorum venia, & demeritorum indulgentia, finali in bono perseuerantia indignus donet, & tandem ad visionem beatificam te patrocinante deducar, ò admirabilis Deipara, & peccatorum clemens, ac pia aduocata. Amen.

Sancti huius altaris, &c. *Vt supra.*

AD SEXTVM ALTARE,

Ceu ad SS. Fabianum, & Sebastianum.

Pro omnibus gratijs,& decoribus,&c. *Vt supra à pag. 144.*

SEXTA DECAS.

Pater noster, &c.

O Creator, & seruator omnium Domine IESV Christe pro acerbissimis cruciatibus,quos in tua crucifixione, & morte sustinuisti: sed & pro decore, ac gloria,quam à mortuis resurgendo induisti; pro charitate quoque, & gratia, qua Spiritum sanctum in credentes demisisti, sit tibi omnis contentatio æterni Patris, quam habet ex fructu vitæ, passionis & mortis tuæ. Per illa autem,quæ in tui crucifixione sustinuisti, per tuam mortem,Resurrectionem, Ascensionem in cœlum, & sancti Spiritus demissionem humiliter rogo, vt N.N. dones, & me ab omni peccato mortali præserues, sed renouato per gratiam Spiritus sancti cor pacificum, humile, omnifaria mortificatione, atque ad tuum beneplacitum resignatione perfectum largiaris, quod paci studeat, concordiam foueat, scandala euitet, & quod indesinenter in tuo amore facias absorptum, qui es super omnia amabilis. Amen.

Aue

Aue Maria *decies*. *Post* IESVS.

QVi propter nos crucifixus est, & mortuus, resurrexit, cœlos ascendit, & inde Spiritum sanctum misit.

Sancta Maria, &c. *Post decimum* Aue.

O Mitissima Domina, & gloriosissima Deipata semper Virgo MARIA omnis Deo sit laus, & gloria, totumque cœlum per omnem æternitatẽ gratiarum actionibus resonet, quod te talem ac tantam in cœlo & in terra fecit IESVS Christus Filius tuus Dominus noster. Per cuius crucifixionem, & mortem; per Resurrectionem, supra cœlos ascensionem, & exinde Spiritus sancti missionem rogo impetres N. N. mihi peccatorum veniam, & indulgentiam demeritorum, vtque omnibus mortuus soli Deo viuam, neque ab eo aliquo peccato separer, sed omni tempore meæ peregrinationis salutaribus Dei præuentus gratijs, tandem vltimato in amplexu boni infiniti finaliter obdormiã Deo meo infinite amabili. Amen.

Sancti huius Altaris, *Vt supra*.

AD SEPTIMVM ALTARE,

Ceu ad S. Crucem in Hierusalem.

Pro omnibus gratijs, & decoribus, &c. *Vt supra, pag.* 144.

SEPTIMA TRIAS.

Pater noster, &c.

O Lignum vitæ, & fons salutis æternæ IESV Christe pro omnibus, & singulis, quæcumque salutis nostræ causa agere, & pati es dignatus; & quæcunque Beatissimæ Virgini Matri tuæ meruisti, pro eius in cœlum Assumptione, & super omnem creaturam glorificatione, vna cum omnibus beatis spiritibus & sanctis tuis gratias tibi ago. Per eius merita, & lateris tui perfossionem humiliter rogo, vt N.N. largiaris: & mihi peccatori ad cor tuum aditu reserato in eo totam animam concludas, & eius sanguine & aqua ab omni peccatorum macula emundatam, te in omnibus sequi tuo spiritu sancto edoceas, & tandem ad tui beatum conspectum feliciter peruenire facias Deus gratiæ & gloriæ dator laudabilis, & superexaltatus in sæcula. Amen. Aue Maria *ter.*

Post IESVS.

QVi te in cœlum assumpsit, & super choros Angelorum exaltatam Reginam omnium coronauit. Sancta Maria, &c. *Post tertium* Aue.

O Augustissima omnium Creaturarũ Imperatrix Dei Mater Virgo MARIA, pro tui electione, tua Conceptione, & Virginali Maternitate: pro omnibus naturalibus, & supernaturalibus

animæ

animæ tuæ, & corporis decoribus: pro tui in cælum assumptione, ibique super omnem creaturam exaltatione, & beatificatione; Deo Omnipotenti & eius bonitati infinitæ sit omnis contentatio, quam ex seipsa, ex meritis, & gloria sacerrimæ Filij tui humanitatis; ex tuis quoque, & omnium sanctorum meritis, & gloria in omni æternitate habet. Te autem, ò tutissimum refugium, & misericordissima aduocata peccatorum supplicitèr rogo: vt IESVS Christus Filius tuus Dominus noster te intercedente N. N. largiatur. Et me longe factum ab omni carnali conuersatione, mundo & eius operibus mortuum, vita sui amoris per sanctum Spiritum suum me viuere faciat, ac moribus, quibus ei per omnia placeam, me instituat: veniam peccatorum, indulgentiam demeritorum, & tandem finalem perseuerantiam mihi donans, te patrocinante, ò admirabilis Virgo MARIA, æternæ beatitudinis, participem me faciat Redemptor meus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen. Credo in Deum, &c.

Concludes Antiphona de B. MARIA Virgine, tempori inseruiente, superadditis versiculis & Collectis ex antecedente aliqua praxi desumptis.

SEPTI-

SEPTIMA PHIALA
SEV SEPTIMA PRAXIS
Septem Altaria Priuilegiata visitandi septem Deiparæ gloriosis Gaudijs informata.

Sacrosancta Deipara Oratori.

NVM hic, ò Deo deuote, quisquis es Visitator, aut Marianus Orator, septimæ Phialæ numerus septenarius, vel sola memoria septimæ diei, sabbatique æterni, non inflammabit desiderium tuum ad bibendum calicem, quo inebriantur cum Christo in regno Patris eius, de labore præsentis mortalitatis educti, & ante Thronum Dei feliciter adducti? Aut ex praxi septima, numquid ad beatæ in bono infinito speculationis, seu contemplationis æternam quietem, quotidianis in via virtutis fatigatus decertationibus non ardenti anhelitu animi vita propelles? Virum desideriorum, quisquis es, hic te inscribo: sed quia nec dum facialiter apparente cœlesti gloria satiari licet, libeat interim, vel in eius imagine animum vel minimum recreare. Et pro hoc, vt & ego tibi contribuam, septimam praxim ex septem gloriosis gaudijs Augustæ Reginæ Cœlorum formatam exhibeo, atque ex ijsdem eidem Gloriosissimæ Reginæ Co-

Coronam contexo. Nec putes illa à meo calamo primum nata, sed pro explorato accipias, ab ipsamet gloriosissima Deipara seruo, & amico suo fideli B. Arnulpho de Bruxellis Ordinis Cistercień. Conuerso iamdudum fuisse explicata, multumque ad deuote meditandum commendata. De quo partem fidelis narrationis, ex eiusdem Beati viri vita, non infideli calamo mutuatam, hanc accipe.

Quodam tempore (inquit author vitæ eius) cum septem gaudia in infirmitorio recogitasset: apparuit illi B. Virgo, dicens ei: Arnulphe, fidelis amice, cur illa gaudia solùmodo recogitas, quibus feliciter affecta fui in hoc sæculo. Recogita quoque septem illa gaudia, quibus perpetuo, incomprehensibiliter afficior in cœlo. Tunc docuit eum, & dixit.

Primum Gaudeo, quod cum assumebar in cœlum, ibi esse inueni quod cogitabam, aut sperabam, super omnia, & præcipue maiorem gloriam paratam, quam loqui, aut cogitari potest: ita vt plenitudo gloriæ meæ, superet omnem gloriam Sanctorum, & Angelorum.

Secundo Gaudeo, eo quod sicut dies illuminatur à sole, sic tota cœlestis Hierarchia illuminatur, & lætatur gloria & felicitate mea.

Tertio Gaudeo, eo quod omnis exercitus cœlestis mihi obedit, & me vt matrem Regis honorat.

Quarto

Quarto Gaudeo, eo quod suprema & inseparabilis Trinitas, benigno mihi fauore consentit.

Quinto Gaudeo, eo quod famulis meis conceditur in hoc mundo, & in futuro secundum voluntatem meam.

Sexto Gaudeo, eo quod super omnes choros Angelorum exaltata sum, & singulari priuilegio proxima sum sanctissimæ Trinitati, & fruor iucunda societate omnium Sanctorum.

Septimo Gaudeo, quod omnino certa sum, quod numquam gloria mea deficiet, aut imminuetur.

Cum igitur libuerit, siue in visitatione Altarium, siue extra, congaudere, & congratulari Beatissimæ de dictis gaudijs, & glorijs, hac subsequente praxi eam gratulabũdus coronabis. Neque dubites cœlo multum fore gratum, quod ab ipsa cœlorum Regina æternę Sapiētiæ Parentę est cõmendatum. Sic igitur.

AD PRIMVM ALTARE,

Ceu ad S. Ioannem in Laterano.

GRatias tibi Deus; Gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & summa Deitas pro omnibus gratijs, decoribus, & gloria sacrosanctæ Ecclesiæ collatis, pro quibus benedicta sis nunc & semper & per infinita sæcula. Amen.

PRI-

PRIMA DECAS.

Pater noster, &c.

GLoriosissime Rex, & gaudium Angelorum Domine IESV Christe vna cum omnibus sanctis tuis, adoro, laudo, glorifico te, gratias agens tibi pro beato gaudio, quo admirabilem Virginem Matrem tuam in cœlum assũptam Angelorum, & beatorum omnium glorias, gloria & beatitudine superexcedente lætificasti. Eius quæso meritis Ecclesiam tuam pacifices, coadunes & exaltes, & vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis erepti & saluati: terrena despicientes, & cœlestia amantes, purificatis tibi mentibus seruiamus: & tandem ad illud gaudium, ad quod assumpta est nostra Aduocata, peruenire mereamur. Amen.

Post IESVS

QVi te in cœlum assumptam plenitudine gloriæ præ omnibus beatis glorificat.

Post decimum Aue.

LAudent, & glorificent te, congaudeant, & congratulentur tibi, ò gloriosa Regina Angelorum, omnes beatorum spirituum Ordines de gaudio, quod in cœlum assumpta habes ex gloria beata, superexcedente omnem gloriam Angelorum, & Beatorum. Impetra quæso Principibus Christianis con-

cor-

cordiam, hæresibus exterminium, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem, & fac tuis meritis, vt à terrenis desiderijs elongati, digne cœlo viuamus, atq; eiusdem gloriæ participes efficiamur. Per Christum Dominum nostrũ. Amen.

AD SECVNDVM ALTARE,

Ceu ad S. Petrum de Vrbe.

Gratiarum actiones, vt supra ad primũ Alt.

SECVNDA DECAS.

GLoriosissime Rex Patriarcharum & inspirator Prophetarum Domine IESV Christe, vna cum omnibus sanctis tuis adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro gaudio quo admirabilẽ Virginem Matrem tuam in cœlũ assumptã lætificas, totam cœlestem hierarchiam eius gloria illuminãdo, & lætificando. Eius quæso meritis N.N. & doce nos in omnibus tibi deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire, vt quæ te authore facienda cognouerimus, te operante, implentes, dignis conuersationibus, ad eius gloriæ mereamur pertinere consortium, Amen. *Post* IESVS.

QVi tua gloria beata, totam hierarchiam cœlestem beate illuminat, & lætificat.

Post

Post decimum Aue.

LAudent & glorificent te, congaudeant, & congratulentur tibi, ò gloriosa Regina Patriarcharum, & Prophetarum omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, & veteris legis beati, de gaudio, quod in cœlum assumpta ex eo habes, quod tota cœlestis hierarchia illuminatur & beatur gloria, & felicitate tua. Impetra quæso N. N. N. & vt exclusis à nobis operibus tenebrarum, lumen æternum beate videamus, Præstante Filio tuo, &c.

AD TERTIVM ALTARE,

Ceu ad S. Paulum.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

TERTIA DECAS.

Pater noster, &c.

GLoriosissime Rex & Magister Apostolorum, ac Doctor Euangelistarum Domine IESV Christe, vna cum omnibus sanctis tuis adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro gaudio, quo admirabilem Virginem Matrē tuam in cœlo lætificas, cum eius imperio omnem cœlestem exercitum subdis, eamque vt Reginam honorare iubes. Eius quæso meritis N. N. N. & ad te nostras, etiam rebelles compelle volun-

tates;

tates; tibique placitis moribus dignanter deseruire concede. Amen.

Post IESVS.

QVi tibi omnes exercitus cœlestes subdit: & te vt Matrem Regis æterni honorare iubet.

Post decimum Aue.

LAudent & glorificēt te, congaudeāt & congratulentur tibi, ô gloriosa Regina Apostolorum, omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ, omnesque Discipuli Filij tui, de gaudio, quod in cœlo ex eo habes, quod omnis exercitus cœlestis tibi obedit, & vt Matrem Regis æterni te honorat. Impetra quæso N. N. N. & vt in omnibus voluntati diuinæ obediamus, & tandem te in cœlo, cum Sanctis, honoremus, Deumque nostrum in æternum laudemus. Præstante, &c.

AD QVARTVM ALTARE,

Ceu ad Sanctam Mariam Maiorem.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

QVARTA DECAS.

Pater noster, &c.

GLoriosissime Rex, & Fortitudo Martyrum Domine IESV Christe vna cum omnibus sāctis tuis adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro gaudio, quo admirabilem Virginem Matrem tuam in cœlo lætificas, dum San-

Sanctissima Trinitas, præ omnibus Sanctis, benigno illi fauore consentit. Eius quæso meritis N. N. N. & corda nostra ad te conuerte, vt à terrenis cupiditatibus liberi, ad cœlestia desideria transeamus, & à temporalibus liberati incommodis, gaudijs annumeremur æternis. Amen. *Post* IESVS.

QVi te in cœlo singulari fauore, & consensu Sanctissimæ Trinitatis præ omnibus beat.

Post decimum Aue.

LAudent, & glorificent te, congaudeant, & congratulentur tibi, ò gloriosa Regina Martyrum omnes sancti Innocentes, & Martyres Dei, de gaudio, quod in cœlo ex eo habes, quod suprema, & inseparabilis Trinitas benigno tibi fauore consentit. Impetra quæso N. N. N. & vt à laqueis diaboli, mundi, & carnis liberati, in omnibus beneplacito Filij tui viuamus, eodem Filio tuo Domino nostro præstante qui, &c.

AD QVINTVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Laurentium extra muros.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

QVINTA DECAS,

Pater noster, &c.

GLoriosissime Rex, & lumen Confessorum Domine IESV Christe,

vna cum omnibus Sanctis tuis, adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro gaudio, quo admirabilem Virginem Matrem tuam in cœlo lætificas, quod hic & in futuro famulis eius secundum illius voluntatem omnia concedas. Eius quęso meritis, & tua miseratione N.N.N. & quicquid pro peccatis meremur, propitiatus auertens, percepta misericordia, liberis tibi mentibus fac seruiamus, vt ab omnibus peccatorum nexibus absoluti, gaudium cœleste possideamus. Amen.

Post IESVS.

QVi famulis tuis pro tua voluntate, hic & in futuro bona largitur.

Post decimum Aue.

LAudent, & glorificent te, congaudeãt, & congratulentur tibi, ò gloriosa Regina Confessorum, omnes sancti Põtifices, Doctores, & Cõfessores de gaudio, quod in cælo ex eo habes, quod tuis famulis in hoc mundo, & in futuro, secundum voluntatem tuam omnia bona à Deo concedantur. Impetra quæso N. N. N. & vt ab omnibus peccatorum nostrorum maculis emundati, Deo nostro, & tibi gratam in omnibus exhibeamus seruitutem, pręstante Filio tuo, &c.

AD SEXTVM ALTARE,

Ceu ad Sanctum Sebastianum.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

SEXTA

SEXTA DECAS.

Pater noster, &c.

GLoriosissime Rex, & sponse Virginum Domine IESV Christe, vna cum omnibus Sanctis tuis adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro gaudio, quo admirabilem Virginem Matrē tuam in cœlo supra omnes choros Angelorum exaltatam, & proxime Sanctissimæ Trinitati collocatam, lætificas. Eius quæso meritis N. N. N. & nos tua gratia dignos efficiens, fac desiderare quæ recta sunt, & desiderata percipere: atque à cunctis animæ, & corporis liberatos periculis, perennis gloriæ præmia obtinere concede. Amē.

Post IESVS.

QVi te super omnes choros Angelorū exaltatam, Sanctissimæ Trinitati proxime collocauit.

Post decimum Aue.

LAudent, & glorificent te, congaudeant, & congratulentur tibi, ò gloriosa Regina, Virginum omnes Sanctæ virgines, viduæ & coniugatæ, de gaudio, quod super omnes choros Angelorum exaltata, & proxima Sanctissimæ Trinitati collocata, in cœlo habes. Impetra quæso N. N. N. & vt hic perpetua charitate Deo vniamur, & in futuro de visione Dei, & tua, Sanctorumque omnium societate lætemur. Præstante Filio tuo, &c.

AD

AD SEPTIMVM ALTARE,

Ceu ad Sanctam Crucem in Hierusalem.

Gratiarum actiones, vt ad primum Altare.

SEPTIMA TRIAS,

Pater-noster, &c.

Gloriosissime Rex, & Corona Sanctorum omnium Domine IESV Christe, vna cum omnibus Sanctis tuis adoro, laudo, & glorifico te, gratias agens tibi pro coelesti gaudio, quo admirabilem Virginem Matrem tuam, certitudine singulari de æternitate suæ gloriæ, & beatitudinis lætificas. Da eius meritis, & tua miseratione N. N. N. & nobis subsidia mentis, & corporis, vt in vtroque saluati cœlestis remedij plenitudine gloriemur; & tandem ad tuam gloriam securi transferamur. Amen.

Post IESVS.

Qvi te certitudine de æterna gloria, & felicitate tua singulariter beatificat.

Post tertiam Aue.

Laudent, & glorificent te, congaudeant, & congratulentur tibi, ô gloriosa Regina Sanctorum omnium, omnes Sancti & Sanctæ Dei de gaudio, quod in cœlo ex omnimoda certitudine de non defectura æternaliter, nec mi-

minuenda gloria, & felicitate tua, habes. Impetra quæso N. N. N. & vt in bonis operibus vocationem nostram certiorem faciamus, & fideles in Dei amore, & seruitio ad finem vitæ præsentis perseuerantes, gloria immortalitatis, & felicitate æterna, tandem, coronemur. Præstante Filio tuo, &c.

Credo in Deum, &c. Salue Regina, &c. Versus, & Collectæ, *vt in praxi secunda.*

Extra Visitationem autem Altarium hac Corona cœli terraque Augustissimam Imperatricem coronaturus, omnia ei intexes præter Gratiarum actiones, quas omittes, & ex hic annotatis Hymnum aliquem de eadem Beatissima, præmittes.

Sequentem Orationem in Basilica S. Petri dicentibus Vrbanus VIII. concessit in singulis sanctissimæ Trinitatis, Domini nostri IESV Christi, B. Mariæ Virginis, S. Ioannis Baptistæ, B. Petri, & Pauli, aliorumque Apostolorum, & celebritatis omnium sanctorum, & cuiuslibet feriæ sextæ mensis Martij, diebus confessis, & communione refectis, plenariam: in quolibet autem alio die habentibus propositum confitendi, septem annorum toto anno quadragenarum Indulgentiam concessit.

ANte oculos tuos Domine culpas nostras ferimus: & plagas, quas accepimus, cōferimus. Si pensamus ma-

lum, quod fecimus; minus est quod patimur, maius est quod meremur.
Grauius est, quod commisimus: leuius est, quod toleramus.
Peccati pœnam sentimus: & peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis infirmitas nostra teritur: & iniquitas non mutatur.
Mens ægra torquetur: & ceruix non flectitur
Vita in dolore suspirat: & in opere se non emendat.
Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.
Confitemur in correctione, quod egimus: obliuiscimur post visitationem quod fleuimus.
Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non soluimus.
Si ferias, clamamus vt parcas: si peperceris, iterum prouocamus, vt ferias.
Habes Domine confitentes reos: nouimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas.
Præsta Pater omnipotens sine merito, quod rogamus, qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.
℣. Gregem tuum Pastor æterne ne deseras. ℟. Sed per Beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.
℣. Protege Domine populum tuum tuo te clamantem, & Apostolorũ tuorũ pa-
trocinio

trocinio confidentem perpetua defensione custodias. ℣. Orate pro nobis sancti Apostoli Dei. ℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per Dominum nostrum, &c.

IMploret, clementissime Domine, nostris opportunâ necessitatibus opem, deuote à nobis prolata meditatio: quam sanctus olim Ioannes Chrysostomus in hac Basilica conditus, te cum Beatissimis Apostolis Petro & Paulo repræsentauit sic colloquẽtem: Circumdate hanc nouam Sion, & circumuallate eam, hoc est custodite, munite, precibus firmate, vt quando irascor in tempore, & orbem terræ concutio, aspiciens sepulchrum vestrum nunquam desiturum, & quæ libenter propter me geritis stigmata, iram misericordia vincam, & ob hanc percipiam vestram intercessionem. Etenim quando sacerdotium, & regnum video lacrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector, & illius meæ vocis reminiscor: Protegam vrbem hanc propter Dauid seruum meum. Domine Fiat, fiat. Amen, Amen.

DE CORONA IESV CHRISTI Domini, & Saluatoris nostri.

REgis regum IESV Christi Domini, & Saluatoris nostri Coronam, ad numerum præcipue annorum, quibus in dispensatione mortalitatis, cum hominibus est cõuersatus, in medio terræ salutem cœlo adscripti populi operando, ordinatam: & in transitu suo, à conceptu virginali, ad consessum Paternæ dexteræ, qua gaudiosis, qua gloriosis eiusdem actionibus passionibusque formatam: à B. Michaele Camaldulen. Eremi cultore inuentam: & à Summis Pontificibus approbatam, & indulgentijs pluribus dotatam in manus tuas depono, quisquis Regem cœli & terræ pro altissimo debito honoras, & quisquis Regio Honorario summum viuorum, ac mortuorum Iudicem, quamdiu à vindicta in nationibus facienda vacat, placare, & tuæ causæ fauentem habere adlaboras. Quam quidem primus eius, ac pius author, non e lapidibus deficiẽtis solis virtute in terræ visceribus natis, elaboratam, sed è septigenis, quas ab æterna Sapientia prognatas, e cœlo in terras, Sol oriens ex alto secum deduxit, incomparabilibus gemmis, ex septemplicium nimirum petitionũ Dominicis Orationibus compositam, esse voluit. Et quia teste mellifluo Sacrosanctæ

sanctæ Ecclesiæ Doctore Bernardo nihil à manu omnipotente, nisi per manum Thesaurariæ sanctissimæ Trinitatis Deiparæ MARIÆ venire mortalibus ille voluit, qui est natus de Virgine MARIA; ideo eandem Coronam Deo deuotus author Angelicis salutationibus pertexuit, vt grata mediatione Admirabilis Deiparæ diuinæ largitatis manus apertæ, sic Regem Salomonem coronantes cœlestibus gratijs, & benedictionibus spe certiore adimplerentur. Licet autem aliter eam instituere adsit ars in manibus, magis tamen ea placet, quæ à Dei digito per memoratum virum beatum efformata, & gratijs Apostolicis digne cœlo est venustata. Huius igitur aliquot praxes præsenti opellæ adnecto, & plures & operosiores, eleuatioribus in arte spirituali Magistris sub lege interminatæ libertatis relinquendo.

* * * *

PRIMA PRAXIS
Recitandæ Coronæ Saluatoris Domini nostri IESV Christi.

Oratio præparatoria.

EN venio corã te, infinitæ Rex maiestatis Domine Deus meus. In cuius conspectu ne ingratus appaream, absolue me quæso ab omni debito peccatorum, ac demeritorum meorum, & gratia tua animam meam adorna, cor, & labia purifica, mentem illumina, & affectum tui amore inflamma, vt per omnia digne, ex vita, passione, & morte IESV mei depromptas supplicationes conspectui tuo Diuino præsentare, & secundum eas exaudiri merear à te Deo meo super omnia amabili, laudabili, glorioso, & superexaltato in sæcula sæculorum. Amen.

I. Aue Maria, &c.

O Super omnes creaturas benedicta Virgo MARIA, per gratiam, quam apud Deum inuenisti, dum te Matrem Vnigeniti Filij sui prælegit, & propter hoc omnibus benedictionibus suis te præuenit, humiliter rogo, vt impetrata mihi peccatorum venia, ac demeritorum indulgentia impetres, vt in Christo renatus, & eius cognitione illuminatus,

illi

illi soli viuam, omnibus sensibus meis, tam interioribus, quam exterioribus, totisque animæ virtutibus in ipsum solum ferar, illi per omnia subiectus semper inueniar, & per viam mandatorum eius ad finem vitæ presentis decurram; donec ad regnum Regis regum feliciter perueniã gratia & miseratione IESV Christi Filij tui Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat, &c,

PRIMÆ DECADIS.

1. PAter noster, &c. O Pater misericordiarum, per Incarnationem Vnigeniti tui, & per eius merita, libera me quæso à demeritis peccatorum meorum, atque eidem me hic, & in futuro coniunge. Amen.

2. Pater noster, &c. O Pater omnium per charitatem Filij tui, qua vtero conclusus virgineo Elisabeth & Zachariam illuminauit, Ioannemque sanctificauit, humiliter rogo, vt in præsenti, & in futuro à tenebris, & vmbra æternæ mortis me liberes. Amen.

3. Pater noster, &c. O Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, per humillimam eius ex Virgine Natiuitatem humiliter rogo, vt à morte peccatorum liberatum, vita IESV mei me facias viuere. Amen.

4. Pater noster, &c. O Pater Angelorum, & hominum, per misericordiam

qua natum Saluatorem per Angelos pastoribus manifestasti: humiliter rogo, vt à tenebris peccatorum absolutum, ad omne bonum gratia tua me illumines. Amen.

5. Pater noster, &c. O Pater, & Deus vitæ meæ, per IESV mei Circumcisionem, humiliter rogo, vt gratia tua à me præscindas quocunque tibi displiceo, & dones quo tibi per omnia placeam.

6. Pater noster, &c. O Pater luminum per bonitatem, qua tres Reges ad agnoscendum, & adorandum mundi Saluatorem stella duce perduxisti: humiliter rogo, vt in præsenti in tuo lumine ambulans, in futuro æternum lumen gaudens videam.

7. Pater noster, &c. O Pater colende, per amorem quo se tibi in sacrificium matutinum Saluator meus in téplo præsentatus obtulit: humiliter rogo, vt omnia opera mea in te permaneant, & in omnibus tuus semper inueniar. Amen.

8. Pater noster, &c. O Pater Cœli, & terræ factor, per dilecti Filij tui fugam in Ægyptum, humiliter rogo fac me vitia fugere, sectari virtutes, & manus hostium meorum visibilium, & inuisibilium finaliter effugere. Amen.

9. Pater noster, &c. O Pater æternæ Sapientiæ, per humilitatem Filij tui, qua redux ex Ægypto in Nazareth est conuersatus, humiliter rogo, vt me mitem, & humilem corde, tibique per omnia obe-

obedientem facias. Amen.

10. Pater noster, &c. O Pater increate per inuentionem Filij tui inter Doctores, & illa eius merita, quibus coram te adhuc mundo ignotus nostram salutem operabatur: humiliter rogo dones mihi, vt in omnibus voluntatem tuam sciam, & faciam. Amen.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Sicut erat in principio, &c.

O Benignissime, dulcissime, & desideratissime IESV vna cum omnibus Sanctis tuis tota anima gratias ago tibi pro tua Incarnatione, Ioannis sanctificatione, Natiuitate, & eius Pastoribus manifestatione, pro tui Circumcisione, trium Regum ad cunas, & fidem tuam vocatione, in Templi tui oblatione, fuga in Ægyptum, inter Doctores inuentione, & pro illis omnibus quæ à Conceptione, & Natiuitate tua ad annum trigesimum ætatis tuæ, salutis nostræ causa agere, & pati es dignatus. Per Patris tui in omnibus illis contentationem, humiliter rogo, vt per gratiam tuam me tibi vnias & conformes, laude tua me infrænes, cor meum ab omni abs te alieno amore circumcidas, totum me in holocaustum susceptum Spiritu tuo sanctifices, & fugienti ad te in omni corporis & animæ periculo, ac necessitate subuenire digneris Saluator meus benedictus in sæcula. Amen.

II. Aue Maria,&c.

O Admirabilis Virgo Mater MARIA gratias ago tibi pro laboribus, & solicitudinibus, quæ circa Saluatorem meum ab illius in tuo virgineo vtero cõceptione, ad trigesimum eius ætatis annum sustinuisti. Per gaudia, quæ illis annis ex Filio tuo habuisti, & dolores, quos tunc propter illum pertulisti, humiliter rogo, vt impetres Sanctæ Ecclesiæ Dei augmenta gratiarum, pacem omnimodam, & vnionem; mihi vero peccatori ab omnibus peccatis, & demeritis absolutionem, cum Diuina voluntate omnimodam conformitatem, ab hostibus meis visibilibus, & inuisibilibus finalem eliberationem. Amen.

SECVNDÆ DECADIS.

1. PAter noster, &c. O Pater sancte per complacentiam tuam in dilecto Filio tuo, & eius humilitate, qua se baptismo Ioannis submisit, humiliter rogo, vt me Spiritu sancto baptizes, & solum Filium tuum in omnibus audire facias. Amen.

2. Pater noster, &c. O Pater, in quo omnium sperant oculi, per orationes, & tentationes, quas pertulit pro nobis, & quadragesimali ieiunio suo, quod fecit Filius tuus; humiliter rogo, vt benignam aurem tuam precibus meis accommodes, & ab omni malo abstinere me edoceas. Amen.

3. Pa-

3. Pater noster, &c. O Pater cœlestis agricola per zelum gloriæ tuæ, & nostræ salutis, quo Filius tuus in vineam tuam operarios, vocando Apostolos ad se, conducebat, humiliter rogo, vt me ab omnibus peccatis, & vitijs semper reuoces, & conuersum ad te semper retineas. Amen.

4. Pater noster, &c. O Pater gloriæ per manifestationem gloriæ Filij tui in Cana Galilææ, humiliter rogo, vt rerum creatarum omnem amorem in me extinguas, & ignem tui amoris semper in me accendas. Amen.

5. Pater noster, &c. O Pater salutis æternæ per zelum salutis animarum, quo dilectus Filius tuus prædicationibus institit, humiliter rogo, vt aurem cordis mei ad verba tua semper aperias, & audita opere complere edoceas. Amen.

6. Pater noster, &c. O Pater beatæ requiei per fatigationes, sudores, vigilias, ieiunia, sitim, & famē, frigora & æstum multasque necessitates, & persecutiones, quas Filius tuus Euangelizando regnum Dei sustinuit, humiliter rogo, vt spiritum fortitudinis mihi dones ad subeunda quæuis aduersa amore tui, & salutis proximorum. Amen.

7. Pater noster, &c. O Pater fons bonitatis per excessum amoris, quo Filius tuus pertransijt omnibus etiam se persequentibus benefaciendo, & eorum languores sanando, humiliter rogo, vt au-

feras à me cæcitatem mentis, voluntatis malitiam, ad bonum acediam, & ad malum propensionem.

8. Pater noster, &c. O Pater amande per effusam Filij tui charitatem, qua publicanos, & maximos peccatores ad se, & gratiam suam vocauit, humiliter rogo, ne vnquam derelinquas me in cogitatu maligno, neque permittas me sequi malas concupiscentias. Amen.

9. Pater noster, &c. O Pater gratiarum, per ineffabilem Filij tui ad nos charitatem, qua se nobis in sanctissimo Sacramento altaris reliquit, humiliter rogo, vt corporis, & sanguinis eius in vita, & in morte, ad tutamentum animæ & corporis, me participem facias. Amen.

10. Pater noster, &c. O Pater futuri sæculi per salutarem prouidentiam Filij tui, qua alia Sacramenta ad salutem animarum nostrarum instituit, humiliter rogo, vt me in Christo renatum gratia eius confirmes, & à morte peccati liberatum perpetuo seruitio tuo consecres, tibi denique amore copulatum, vnctione spiritus tui dignum cœlo efficias. Amen.

Gloria Patri, & Filio, &c.

O Benignissime, patientissime, ac misericordissime IESV, vna cum omnibus sanctis tuis gratias ago tibi pro humilitate, & effusa in nos tua charitate, qua baptismum Ioannis suscepisti, ie-

iunando

iunando tentationes, prædicando calumnias, & persecutiones sustinuisti, Apostolis in Cana Galilææ gloriam tuam manifestasti, multas infirmitates animorum & corporum sanasti, peccatores & publicanos ad gratiam vocasti, & septem Ecclesiæ Sacramenta in medecinam animarum nostrarum instituisti. Per æterni Patris tui contentationem ex operibus tuis, quæ per tempus prædicationis tuæ in eius gloriam, & animarum nostrarum salutem es operatus, humiliter rogo, vt me ab omni infirmitate animæ, & corporis sanes, totumque gratia tua sanctifices. Amen.

III. Aue Maria, &c.

O Amabilissima Domina mea Virgo MARIA per gaudia tua, & exultationes in mirabilibus Filij tui, & per tuos dolores ex miserabilibus, quæ idem Filius tuus prædicando; & curando vbique ab inimicis suis est perpessus, humiliter rogo, vt impetres Ecclesiæ pacem, infidelibus conuersionem, omni populo Christiano vnitatem: mihi vero peccatori obtenta peccatorum veniam, & demeritorum indulgentia, ô admirabilis mater, impetres quæso zelum Dei gloriæ, & salutis animarum, mentis, & corporis sanitatem, in prosperis modestiam, & in aduersis patientiam, inimicorum amorem, & cum Deo meo omnimodam vnionem. Amen.

TERTIÆ DECADIS.

1. PAter noster,&c. O Pater cui omnia sunt possibilia, per sanguineam Filij tui agoniam humiliter rogo, vt in omni animæ, & corporis angustia mihi succurras, & per omnia voluntati tuæ me conformes.

2. Pater noster,&c. O Pater metuēde per ea, quæ Filius tuus in sua captione est perpessus, humiliter rogo, vt hic & in futuro à vinculis inimicorum visibilium, & inuisibilium me liberes. Amen.

3. Pater noster, &c. O Pater tremende, per crudelissimas Filij tui apud Annam, & Caipham, & in carcere, in quo pernoctauit, tractationes, humiliter rogo, ne tradas me in manus inimicorum meorum, neque permittas, vt aliquando dicant; præualuimus aduersus eum.

4. Pater noster, &c. O Pater sancte, per Filij tui coram Pilato iniquas accusationes, humiliter rogo, ne idem Filius tuus intret mecum in iudicium, sed gratia sua me saluum faciat.

5. Pater noster, &c. O Pater æternæ gloriæ, per Filij tui contemptus, & illusiones ab eo apud Herodem perpessas, humiliter rogo, vt ab omni confusione peccatorum me liberes.

6. Pater noster,&c. O Pater iuste, per Filij tui iniquam latroni postpositionem & ad iniustam mortem condemnationem:

nem, humiliter rogo, vt in futuro iudicio ab omni peccato absolutum vitæ æternæ me adscribas.

7. Pater noster, &c. O Pater misericordiarum, per Filij tui cruentissimam flagellationem, & spinis coronationem, humiliter rogo, vt à pœnis peccatorum absolutum in misericordia, & miserationibus me corones.

8. Pater noster, &c. O Pater vestitor alme siderum per Filij tui Crucis baiulationem, vestium expoliationem, & omnium vulnerum, ac dolorum renouationem, humiliter rogo, vt vetere homine cum actibus suis exutum, induas me nouo secundũ cor tuum. Amẽ.

9. Pater noster, &c. O Pater ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, per vnigeniti Filij tui crucifixionem, manuum ac pedum perfossionem, omniumque membrorum eius distractionem, humiliter rogo, vt transfigas medullas, & viscera animæ meæ IESV mei amore, & ipsi soli toto corde meo affixum me teneas. Amen.

10. Pater noster, &c. O Pater vitæ immortalis, per Filij tui animi & corporis, quæ cruci affixus est dignatus pati tormenta, & per eius mortem, humiliter rogo, vt omnibus, quæ extra te sunt, me facias mori, & tibi soli viuere. Amen. Gloria Patri, &c.

O Humillime, patientissime, & fortissime IESV, vna cum omnibus sanctis

sanctis tuis, gratias tibi ago pro illis omnibus, quæ salutis nostræ causa pati es dignatus in tua agonia, captione, coram Anna, Caipha, Pilato, & Herode accusatione, flagellatione, spinis coronatione, condemnatione, Crucis baiulatione, crucifixione, & morte tua. Per quorum omnium apud Patrem tuum pondus, & valorem, humiliter rogo, vt vitæ, passionis, & mortis tuæ meritis, in præsenti, & in futuro me viuere facias. Amen.

IV. Aue Maria, &c.

O Misericordissima, & afflictissima Domina mea Virgo MARIA, per dilecti Filij tui in sua passione perpessos cruciatus, & tormenta, sanguinis effussiones, & corporis dilacerationes, per crucifixionem eius, & mortem, humiliter rogo, vt Ecclesiæ pacem, Principibus concordiam, hæresibus, & schismatibus extirpationem impetres: mihi vero peccatori dolorum, & passionum IESV mei perennem, & gratam memoriam, infractum robur animi pro Deo, & salute proximorum aduersa quæque patiendi, vt in præsenti eius passionibus communicando, in futuro eiusdem gloriæ, & beatitudinis particeps efficiar. Amen.

QVARTÆ TRIADIS.

1. PAter noster, &c. O Pater omnipotens, per gloriam Filij tui, quā à mor-

à mortuis resurgendo induit: humiliter rogo, vt à morte peccatorum liberatum, vita amoris tui me viuere facias. Amen.

2. Pater noster, &c. O Pater cœlestis, per Filij tui gloriosam ad sedem Maiestatis tuæ ascensionem, humiliter rogo, vt cor meum à rebus creatis totaliter abstractum, cum IESV meo in cœlis habitare semper facias. Amen.

3. Pater noster, &c. O Pater spirituũ, per gratiam Filij tui, qua Spiritum sanctum in credentes forma visibili, e cœlo misit, humiliter rogo, vt eodem Spiritu charitatem in corde meo diffundas, qua terrena despiciens sola cœlestia semper sapiam. Amen.

Gloria Patri, &c.

O Potentissime, gloriosissime, & amabilissime IESV Christe, per gloriam, qua te à mortuis resurgentem, Deus Pater induit, et ad suam dexteram in excelsis considere fecit, vnaque tecum stato die Spiritum sanctum in credentes visibiliter demisit, humiliter rogo, ne me permittas in aliqua infirmitate mori, sed gratia tua resuscitatum post te corde, et animo in cœlum me semper trahas Saluator meus benedictus, & gloriosus in sæcula. Amen.

V. Aue Maria, &c.

O Felicissima Virgo Mater, Cœli, ac terræ gloriosissima Regina, per gloriam Filij tui, qua resurgens ex mortuis indutus est, & post sputa, flagra

post

post Crucem paternæ sedi coniunctus, suo sancto Patrisque Spiritu faciem terræ renouauit. Humiliter rogo, vt Ecclesiæ Dei pacem, & vnitatem, gentibus illuminationem, & mihi peccatori à peccatis & eorum demeritis absolutionem, ad omnem status mei perfectionem me efficaciter excitantium gratiarum abundantiam, & tandem in bono, & gratia Dei finalem impetres perseuerantiam, ò tutissimum refugium peccatorum MARIA semper gloriosa, & benedicta. Amen.

Credo in Deum, &c.

Concludes, si libuerit, versiculis, & collectis supra in prima praxi visitandi Altaria septem, adnotatis.

ALTERA PRAXIS

Recitandæ Coronæ Saluatoris nostri Domini IESV Christi.

Oratio preparatoria.

MVnificentissime dator gratiæ, & gloriæ IESV Christe, gratia tua aperi cor, & labia mea ad benedicendum super omnia amabile nomen tuum. Munda cor meum ab vniuersis malis, & extra-

extraneis cogitationibus, vt dignè Maiestati tuæ offerre valeam Coronam ex vitæ, & passionis tuæ formatam mysterijs. Quorum meritis, fac quæso Domine mi vt nunc, & semper labia mea te collaudent, mens meditetur, vita glorificet, & anima benedicat. Amen.

I. Aue Maria, &c.

PEr te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, Aduocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos præsenta. Fac, ô benedicta per gratiam, quam inuenisti, per prærogatiuam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat gloriæ, & beatitudinis suæ IESVS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. *S. Bernardi.*

PRIMÆ DECADIS.

1. PAter noster, &c. O IESV Amor nostri, pro assumptione humanitatis

nostræ ex purissima Virgine MARIA, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago, & per eam humiliter rogo, purifica animam meam; vt in ea gratam semper habeas mansionem. Amen.

2. Pater noster, &c. O IESV zelator animarum, pro misericordia, qua Ioannem in Virgine matre tua visitando gratia tua sanctificasti, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eam humilitatem rogo, vt mentis meæ tenebras gratia tuæ visitationis semper illustres. Amen.

3. Pater noster,&c. O IESV Fili Dei viui pro desideratissima, & pauperrima tua Natiuitate, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eam humiliter rogo, vt tuæ diuinitatis facias me consortem,qui humanitatis meę fieri dignatus es particeps. Amen.

4. Pater noster,&c. O IESV Pater pauperum, pro manifestatione tui, per Angelos pastoribus, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eã humiliter rogo, fac vt digna cõuersatione ad tuum merear pertinere cõsortium. Amẽ.

5. Pater noster,&c. O IESV perfectissime, pro tui Circumcisione, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago, & per eam humiliter rogo, vt in nomine tuo merear bonis operibus abundare. Amen.

6. Pater noster,&c. O IESV splendidior stellis, per vocationẽ trium Regum

ad

ad cunas tuas, & fidem, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago, & per hanc misericordiam rogo, vt illud splendidum lumen cordi meo infundas, quod trium Magorũ mentibus aspirasti. Amen.

7. Pater noster, &c. O IESV gemma pretiosa, pro tui oblatione in templo, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eam humiliter rogo, vt mente purificata facias me tibi semper præsentari. Amen.

8. Pater noster, &c. O IESV sapientia æterna, pro tui inter Doctores in Templo inuentione, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago, & per eam humiliter rogo, vt quæ agenda sunt semper videam, & adimplenda, quæ viderim, conualescam. Amen.

9. Pater noster, &c O IESV refugium nostrum, pro fuga tui in Ægyptum, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eam humiliter rogo, vt contra cuncta mihi aduersantia dexteram tuæ maiestatis extendas. Amen.

10. Pater noster, &c. O IESV exempla virtutum, pro illis omnibus, quæ salutis nostræ causa agere, & pati es dignatus à tua conceptione vsque ad annum trigesimum, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per ea humiliter rogo, vt in omnibus præstes mihi auxilium gratiæ tuæ, quo in exequendis tuis mandatis, & voluntate tibi, & actione placeam. Amen.

II. Aue Maria, &c.

O Domina mea sãctissima Virgo MARIA gratulor tibi de omnibus donis, gratijs, & benedictionibus, quibus te Deus præuenit, in Deiparam te eligendo, & assumendo. Rogo te Domina mea clementissima, per eius amabilitatem, quem Virgo concepisti, & genuisti, lacte virgineo pauisti, & materna solicitudine enutristi, vt eidem agas gratias pro omnibus, & singulis illis, quæ à Natiuitate sua ad annum trigesimum agere, & pati est dignatus. Et per eadem impetres sanctæ Ecclesiæ pacem, Christianis Principibus concordiam, hæresibus & schismatibus exterminium. Mihi vero peccatorum veniam, & demeritorum indulgentiam, & vt in Deo renatus solum quæ Dei sunt sapiam, & faciam ipso donãte Domino nostro IESV Christo Filio tuo, qui viuit, &c.

DECADIS SECVNDÆ.

1. PAter noster, &c. O IESV humillime pro humilitate, qua te Ioannis baptismo submisisti, vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per eam humiliter rogo, effunde super me misericordiam tuam, vt dimittas, quæ conscientia metuit, & adijcias quod oratio non præsumit. Amen.

2. Pater noster, &c. O IESV pauperrime, pro quadragesimali ieiunio tuo, vna

vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago: & per illud humiliter rogo, vt des mihi diabolica vitare contagia, & te solum Dominũ pura mente sectari. Amen.

3. Pater noster, &c. O IESV Magister Apostolorũ, pro vocatione Discipulorũ vna cum omnibus sanctis tuis gratias tibi ago. Et per hanc charitatem humiliter rogo, vt tuis auxilijs & à noxijs semper abstrahar, & ad salutaria dirigar. Amen.

4. Pater noster, &c. O IESV amator castitatis, pro gloriæ tuæ manifestatione in Cana Galilææ, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per eam misericordiam humiliter rogo, cor meum gratia tua purifica, & ab omni terrena cupiditate emunda. Amen.

5. Pater noster, &c. O IESV decus morum, pro laboribus, & defatigationibus, quas Regnum Dei Euãgelizando subijsti, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per eas humiliter rogo, da mihi id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis, vt inter mundanas varietates ibi sit fixum cor meum, vbi sunt vera gaudia. Amen.

6. Pater noster, &c. O IESV speculum vitæ, pro persecutionibus, calumnijs, & blasphemijs, quas tempore prædicationis tuę sustinuisti, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & per eas humiliter rogo, omnia mihi aduersantia propitiatus exclude, vt mente, & corpore pariter

expe-

expeditus, quæ tua sunt libera mente exequar. Amen.
7. Pater noster, &c. O IESV bonitas infinita, pro eo quod pertransieris omnibus etiam te persequentibus benefaciendo, & eorum languores curando, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per tam effusam charitatem rogo, vt me ab omnibus absoluas reatibus, & à cunctis eruas animæ; & corporis periculis. Amen.
8. Pater noster, &c. O IESV bone pastor ouium pro eo, quod peccatores ad tuam gratiam vocare sis dignatus, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & humiliter rogo eandem misericordiam, mihi placatus impende, vt qui culpam incurri contemnendo, veniam consequar confitendo. Amen.
9. Pater noster, &c. O IESV thesaurus fidelium, pro institutione Sanctissimi Sacraméti Altaris, & humilitate qua Discipulis pedes lauisti; vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per eam humiliter rogo, tribue ita me corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in me iugiter merear percipere.
10 Pater noster, &c. O IESV armarium perfectionis, pro institutione sex aliorum Sacramentorum, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per huiusmodi salutarem prouidentiam tuam humiliter rogo, largire mihi spiritum semper

semper cogitandi quæ recta sunt, & agendi, vt qui sine te esse non possum, secundum te viuere valeam. Amen.

III. Aue Maria, &c.

O Admirabilis Mater Dei Sancta Virgo MARIA congratulor tibi de omnibus gaudijs, quibus in Filij tui mirabilibus perfundebaris: sed & de omni gloria, quam in cœlo possedisti pro cõpassionibus, & animi tui doloribus, quos in persecutionibus, & laboribus eiusdẽ Filij tui pertulisti. Domina mea amabilissima, per eiusdẽ Filij tui amabilitatẽ humiliter rogo, vt eidem maximas referas grates pro omnibus, ac singulis illis, quæ à baptismo Ioannis ad captionem vsq. sui in horto Olìueti salutis nostræ causa agere, & pati est dignatus. Et per eadem impetres Catholicę Ecclesię omnimodã exaltationem, & pacem, eius hostibus conuersionem, vel exterminium: mihi vero omnimodam in omnibus ad finem vsque vitæ præsentis cum Diuina voluntate concordiam, vt in omnibus Saluatoris mei inhærens vestigijs, tandem tuis adiutus meritis ad eum gaudẽs perueniam, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit in sęcula sęculorum. Amen.

TERTIÆ DECADIS.

I. PAter noster, &c. O IESV obedientissime pro illis, quæ in horto agonizando pati es dignatus, vna cum omnibus sãctis tuis gratias tibi ago:

& per ea humiliter rogo, vt in omnibus rebellem compellas ad te meam voluntatem. Amen.

2. Pater noster, &c. O IESV mitissime, pro illis, quæ in tui captione es dignatus perpeti, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & per ea humiliter rogo, vt vincula tua, meæ prauitatis vincula absoluant, & tuæ misericordiæ dona mihi concilient. Amen.

3. Pater noster, &c. O IESV patientissime pro illis, quæ apud Annã, & Caiphã pati es dignatus; vna cum omnibus sanctis gratias ago tibi: & per ea humiliter rogo, ne aliquando me gratia tua derelinquat; quæ & sacræ me semper deditum faciat seruituti, & tuam opem in omnibus mihi acquirat.

4. Pater noster, &c. O IESV innocentissime, pro illis quæ Pilato traditus a Iudæis, es dignatus pati, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & per ea humiliter rogo, da mihi digne flere mala, quæ feci, vt tuę consolationis gratiam inuenire merear. Amen.

5. Pater noster, &c. O IESV Sapientia æterna, pro illis, quæ apud Herodem es dignatus pati, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & per ea humiliter rogo, infunde cordi meo tui amoris effectum: vt te in omnibus, & super omnia diligens, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, cõsequar. Amẽ.

6. Pater noster, &c. O IESV admirabilis,

bilis pro illis, quæ redux ab Herode ad Pilatum, es dignatus pati, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago: & per ea humiliter rogo; vt me à meis mundes occultis, & ab hostium liberes insidijs. Amen.

7. Pater noster, &c. O IESV fortissime pro illis, quæ in tua flagellatione, & spinis coronatione pati es dignatus, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo: da mihi, vt peccata mea castigatione voluntaria cohibens, temporaliter potius macerer, quam supplicijs deputer æternis.

8. Pater noster, &c. O IESV cōsolator afflictorum pro illis, quæ in Crucis baiulatione, & in crucifixione pati es dignatus, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo, largire mihi indulgentiam, & pacem: vt pariter ab omnibus munder offensis, & secura tibi mente deseruiam. Amen.

9. Pater noster, &c. O IESV refugium nostrum, pro illis, quæ pendens in Cruce, dignatus es pati, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo: propitiare supplicationibus meis, & animæ meæ medere languoribus, vt remissione percepta, de tua lætet benedictione. Amen.

10. Pater noster, &c. O IESV fortitudo Martyrum, pro morte tua, & omnibus, ac singulis, quæ salutis nostræ causa agere, & pati es dignatus, vna cum

omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo, fac me tibi in omnibus deuotam gerere voluntatem: & maiestati tuæ sincero corde semper seruire. Amen.

IV. Aue Maria, &c.

O Benedicta & fortissima Deipara semper Virgo MARIA, gratulor tibi de omni gaudio & gloria, quam in cœlo & in terra habes, pro doloribus animi, & corporis, quas in amabilissimi Filij tui passionibus, & morte pertulisti. Humiliter rogo, vt vna cum omnibus sanctis gratias agas eidem Filio tuo, pro omnibus quæ salutis nostræ causa est dignatus perpeti. Et per merita eorumdem impetres sanctæ Ecclesiæ pacem, vnitatem, & exaltationem, mihi vero peccatorum veniam, ac demeritorum indulgentiam, & vt eorum, quæ salutis nostræ causa egit, & passus est, memoria apud secretum cordis mei semper remaneat, & dolor passionis eius in me quotidie renouetur, & amor augeatur: vsque dum, vita, passione, & morte IESV mei emptam æternitatem beatam apprehendam. Amen.

QVARTÆ TRIADIS.

1. PAter noster, &c. O IESV gloriosissime, pro decore, & gloria, quam à mortuis resurgendo induisti, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo, da mihi per amorem spiritus à morte animæ resurgere,

& ad

& ad gaudia æterna pertingere. Amen.

2. Pater noster, &c. O IESV potentissime, pro Ascensionis, & sanctissimæ humanitatis tuæ omni gloria, vna cum omnibus sanctis gratias tibi ago. Et per ea humiliter rogo, vt a præsentibus periculis liberer, & ad vitam æternam perueniam. Amen.

3. Pater noster, &c. O IESV Corona Sanctorum omnium, pro Spiritus sancti in Apostolos, & credentes visibili missione, vna cum omnibus sanctis tuis gratiás tibi ago. Et per misericordiam tuam humiliter rogo, da mihi in eodem Spiritu recta sapere, & de eius consolatione semper gaudere. Amen.

V. Aue Maria, &c.

O Gloriosissima cœli, ac terræ Regina Mater Dei Virgo MARIA gaudeo, & tibi congratulor de omni gloria, & prærogatiua in cœlo, & in terra, quã habes præ omnibus creaturis. Domina mea clementissima, per gloriam & amabilitatem Filij tui rogo, vt vna cum omnibus sanctis gratias agas Sanctissimæ TRINITATI, pro omnibus gratiæ & gloriæ donis, quibus sanctissimam eius humanitatem ditauit, ornauit, & glorificauit. Per cuius merita impetres quæso ab eodem Filio tuo Domino nostro, vt sanctam Ecclesiam pacificet, coadunet & exaltet, hæreses, & schismata ab ea remoueat, & in omni sanctitate ac cœlesti decore eam perficiat. Mihi

vero peccatorum veniam, & demeritorum indulgentiam donet suisque pœnis configi per pœnitentiam, eius beneficijs in via vti per gratiam, & tandem illius gaudijs in patria frui per gloriam. Amen. Credo in Deum,&c.
Versus, & collectæ, *vt in conclusione prima Praxis visitand. Altar.*

TERTIA PRAXIS

Eiusdem Coronæ recitandæ.

Oratio præparatoria, vt in prima Praxi.

I. Aue Maria,&c.

Oratio, vt in prima praxi.

DECADIS PRIMÆ.

1. Pater noster,&c. Pro Incarnatione Saluatoris mei Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.
2. Pater noster,&c. Pro misericordia Saluatoris mei, qua in Virgine Matre Ioannem visitando sanctificauit Gloria Patri,&c.
3. Pater noster,&c. Pro Natiuitate Saluatoris mei Gloria Patri, & Filio, &c.
4. Pater noster, &c. Pro Natiuitatis IESV mei per Angelos Pastoribus manifestatione Gloria Patri, &c.
5. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei Circumcisione Gloria Patri, &c.

6. Pater

6. Pater noster, &c. Pro trium Regum ad Cunas Saluatoris mei, & fidem vocatione Gloria Patri, &c.
7. Pater noster,&c. Pro Saluatoris mei in Têplo oblatione. Gloria Patri, &c.
8. Pater noster,&c. Pro IESV mei inter Doctores inuêtione Gloria Patri,&c.
9. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei fuga in Ægyptum Gloria Patri, &c.
10. Pater noster,&c. Pro Saluatoris mei actionibus, & passionibus ab eius cõceptione ad annum trigesimum elicitis, ac perpessis Gloria Patri,&c.

O benignissime, dulcissime,& desid.&c. *Vt in prima Praxi*, pag.177.

II. Aue Maria,&c.

O admirabilis Virgo Mater, &c. *Vt in prima Praxi*, pag.178.

DECADIS SECVNDÆ.

1. PAter noster, &c. Pro humilitate Saluatoris mei, qua se baptismo Ioannis subiecit Gloria Patri, &c.
2. Pater noster,&c. Pro quadragesimali ieiunio Saluatoris mei Gloria Patri, & Filio,&c.
3. Pater noster, &c. Pro vocatione a Saluatore meo Apostolorum Gloria Patri,&c.
4. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei in Cana Galilææ primitijs miraculorum Gloria Patri,&c.
5. Pater noster,&c. Pro Saluatoris mei in euangelizando laboribus Gloria Patri, &c.

6. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei in prædicando persecutionibus Gloria Patri, &c.
7. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei gratijs curationum Gloria Patri, &c.
8. Pater noster, &c. Pro maximorum peccatorum ad gratiam à Saluatore vocatione Gloria Patri, &c.
9. Pater noster, &c. Pro institutione Sanctissimi Sacramenti Altaris Gloria Patri, &c.
10. Pater noster, &c. Pro institutione sex aliorum Ecclesiæ Sacramẽtorum Gloria Patri, &c.
O benignissime, patientissime, ac misericordissime IESV, &c. *Vt in prima Praxi.* pag. 180.
III. Aue Maria, &c.
O amabilississima Domina mea Virgo Maria, &c. *Vt in prima Praxi* pag. 181.
TERTIÆ DECADIS.
1. PAter noster, &c. Pro Saluatoris mei agonia, & sanguineo sudore Gloria Patri, &c.
2. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei captione, & vinctione Gloria Patri, & Filio, &c.
3. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei apud Annam, & Caipham passionibus Gloria Patri, &c.
4. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei apud Pilatum accusationibus Gloria Patri, &c.
5. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei apud

apud Herodem illusionibus Gloria Patri, &c.
6. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei flagellatione Gloria Patri, &c.
7. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei spinis coronatione, & irrisione Gloria Patri, &c.
8. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei Crucis baiulatione, & vestium expoliatione Gloria Patri, &c.
9. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei Crucifixione, & in ea omnibus tormentis Gloria Patri, &c.
10. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei morte, & lateris perfossione Gloria Patri, &c.
O humillime, patientissime, &c. *Vt in prima Praxi* pag. 183.

IV. Aue Maria, &c.

O misericordissima, & afflictissima, &c. *Vt in prima Praxi* pag. 184.

QVARTAE TRIADIS.

1. PAter noster, &c. Pro Saluatoris mei à mortuis resurrectione Gloria Patri, &c.
2. Pater noster, &c. Pro Saluatoris mei in coelos ascensione. Gloria Patri, &c.
3. Pater noster, &c. Pro visibili sancti Spiritus à Saluatore meo missione Gloria Patri, &c.
O Potentissime, gloriosissime, & amabilissime IESV, &c. *Vt in prima Praxi.* pag. 185.

V. Aue Maria, &c.

O Felicissima Virgo Mater, &c. *Vt in prima Praxi* pag. 185.

Versus, & collectas, *pro libito habes in praxibus visitand. Altar.*

QVARTA PRAXIS

Eiusdem Coronæ Recitandæ.

Oratio praeparatoria.

SVmme Pater ò Creator,
IESV Clemens ò Saluator,
Spiritus ò Conseruator
Deus regens omnia.
Mundo, precor, corde præsta
Nostra pro salute gesta
Recolam mysteria.
IESV Matrem selegisti
Et serpentem contriuisti
Germine virgineo.
Matris tuæ me clientem,
Ac materno confidentem
Foue patrocinio.
IESV cœtus te sanctorum,
Iuncti choris Angelorum
Mundi laudant Iudicem
His cum laudes me promentem,
Sed ob noxas metuentem.
Clemens audi supplicem

I. Aue Maria, &c.

SAlue Mater pietatis
Per æternum Trinitatis
Condita

Condita consilium,
Vt immensum, increatum
Verbum Patris incarnatum
Mater gignas Filium.
Te rogamus voto pari
Fac nos portu salutari
Dei sistat gratia.
Da virtutem castæ mentis,
Ne quem calcas, tu serpentis
Perdat nos versutia.

PRIMÆ DECADIS.

1. Pater noster,&c.

IESV thronum Maiestatis
Sumens formam vilitatis
Nostri causa deseris.
O fac nobis ad salutem
Tantus amor det salutem,
Et nos iungat superis.

2. Pater noster,&c.

IESV Virgo salutata,
Te concepit foecundata
Spiritus per gratiam.
O fac Deum te tremendum
Casto semper amplectendum
Pectore concipiam.

3. Pater noster,&c.

IESV Mater te gestabat,
Dum per montes festinabat,
Visitans Elisabeth.
O si Mater Dei digna
Iuncta prole tam benigna
Me frequenter visitet.

4. Pater noster,&c.

IESV Mater præter morem

IESV neci te quærentem
Regem fugis fæuientem
Cædibus infantiæ,
Cunctos me fac declinare
Qui me possent spoliare
Tuæ vita gratiæ.
10. Pater noster, &c.
IESV Mater vt absentem
Dolens quærit, te docentem
Templo gaudens reperit,
Felix qui te custodire,
Vel amissum reperire,
Mox, quærendo, poterit.
II. Aue Maria, &c.
SAlue Virgo salutata,
Et mox fructu fœcundata
Quo saluantur sæcula.
Verbum virgo concepisti
Paranympho dum fuisti
Gabrieli credula.
Salue Mater noui moris,
Expers paris quæ doloris
Saluatorem Gentium.
Ecce Rector Angelorum
Boum consors, & pastorum
Iacet in præsepio.
Num abhorres peccatores,
Sine quibus numquam fores
Tanto clara Filio?
Per te Deum quærit reus
Ad quem per te venit Deus,
Sis amborum media.
DECADIS SECVNDÆ.
1. Pater noster, &c.

IESV fonte baptizaris
Placens Deo declararis
Testis adest Spiritus.
O si vitæ salutari
Fonte lauer, vt probari
Possim tibi penitus
2. Pater noster, &c.

IESV postquam ieiunasti,
Quam potenter profligasti
Sathanæ versutias.
Ne fraus mala me confundat,
Fortis fide mens retundat
Dæmonis nequitias.
3. Pater noster, &c.

IESV vocas piscatores,
Et sequuntur te, Doctores
Mox futuri gentium,
O fac intus te vocantem,
Mox sequamur: sed cunctantem
Gressum trahe mentium.
4. Pater noster, &c.

IESV sponsos cohonestas,
Dum rogante Matre præstas,
Vinum præsens nuptijs.
Fac amicos ordinatis
Te præ cunctis charitatis
Prosequamur officijs.
5. Pater noster, &c.

IESV terras peragrando
Et vbique prædicando
Quanta fers incommoda.
Pro te frigus & sudorem,
Famem, sitim & laborem
Mente feram placida.

6. Pater noster,&c.

IESV zelo charitatis
Flagrans: ò quot à peccatis
Reparas ad gratiam
O si meos primum mores
Dein curem peccatores
Tuam zelans gloriam.

7. Pater noster,&c.

IESV multas diu gentes
Te docentem sustinentes
Verbo cibo recreas.
O si corpus conseruante,
Sed cor magis confirmante
Cibo semper nutrias.

8. Pater noster,&c.

IESV doces, facis mira,
Sanas morbos, pellis dira;
Sed quid refers? Odia.
Mente semper fac benigna
Bona præstem, nec maligna
Mouear inuidia.

9. Pater noster,&c.

IESV monte Thabor, grandis
Maiestatis typum pandis
Dans prægustum gloriæ.
O si vita nunc insonte
Feram celso tandem monte
Præmia victoriæ.

10. Pater noster,&c.

IESV Paschæ dum fecisti
Tuis cibum te dedisti,
O stupenda charitas!
Panis viue me conforta,
Ne me vincant fors adorta

Mundus, Caro, Sathanas.

III. Aue Maria,&c.

AVe Virgo virginum, laus, & lux iustorum
Ad te clamat iugiter turba populorũ
Nos à malis eripe, quos in via morum
Detorquere satagit tractus vitiorum.
Aue torrens gratiæ, torrens fontis viui
Torrẽs de quo profluunt vbertatis riui
Fac vt Deum sitiam magis quam sitiui
Qui per mũdi scelera currẽs circuiui.
Aue nostrũ gaudium, nostra spes & vita.
Per quam sunt remedia ægris impertita
Generalem generis sortem nõ oblita.
Ad æternæ pabulum vitæ nos inuita.
Aue fons clementiæ, veniæque vena.
Per quam nobis redditur vitę cãtilena
A peccato libera nos & eius pœna
Ad ęternę patrię perduc nos amœna.
Aue nostri generis parens, & patrona.
Supra cunctos possidẽs gratiarũ dona
Tuis sanctis precibus meritisque dona
Ne mens nostra solito sit in malum prona.
Aue virgo, suscipe mentis in conclaui,
Verba quibus toties veniam rogaui
Et audito sæpius Aue tam suaui
Fac me quæso Domina procul à Væ graui.

TERTIÆ DECADIS.

I. Pater noster,&c.

IESV sanguinem sudabas
Orans horto, cum te dabas
Patris

Patris in arbitrium
O si cor des resignatum,
Et quod semper sit paratum
Duci per imperium
2. Pater noster, &c.

IESV tractus per furentes
Tuos cernis fugientes.
Quis non tecum plangeret?
Fac aduersis nos constantes
Sic secundis non nutantes
Nil à te nos separet.
3. Pater noster, &c.

IESV Petrus te negauit,
Sed flens crimen expiauit
Tuæ vi clementiæ.
O si numquam te negarem,
Vel me reum mox purgarem
Fletu pœnitentiæ.
4. Pater noster, &c.

IESV falso iudicaris
Alba veste subsannaris
Iudex summæ gloriæ.
Fac me nullum iudicare
Solum sciam me damnare
Vitæ iudex propriæ.
5. Pater noster, &c.

IESV dire flagellatus
Pugnis, sputis es fædatus
Purus omni vitio,
O quam dignus sum puniri,
Sed da pœnis his muniri]
Mortis á supplico.
6. Pater noster, &c.

IESV spinis coronaris,

Et

Et illusus adoraris
Regens orbem nutibus.
O fac zelo semper vero
Affectuque te sincero
Dignis colam laudibus.

7. Pater noster,&c.

IESV Præses te spectandum
Foras ducit, sed damnandum
Plebs dimittit Barabbam.
Absit ducar hoc errore,
vt tam diræ gentis more
Quicquam tibi præferam.

8. Pater noster,&c.

IESV Crucem dum portabas
Heu quam mole laborabas
O si post te gradiar!
Eia Crucem fac tollendo,
Et constanter te sequendo
Fructum crucis assequar.

9. Pater noster,&c.

IESV dire te distentum
Crucifigunt, ò tormentum
Vitam præstans homini.
Absit mihi gloriari,
Nisi lytro salutari,
Et in Cruce Domini.

10. Pater noster,&c.

IESV nostros ob reatus
Insons duræ morti datus
Reis dona veniam.
Et per sacræ mortis fructum,
Fac, ne sequens carnis ductum.
Mala morte peream.

IV. Aue Maria,&c.

AVe dulcis Mater Christi,
Quæ dilectum Filium
Capi, cædi flens vidisti
Manibus crudelium:
O per pœnas patientis
Nobis sit impunitas
Per amorem condolentis
Matris, crescat charitas.
Aue dulcis Mater Christi
Quæ sub Crucis arbore
Gemens, natum morte tristi
Vides, heu succumbere.
O per ensem hunc doloris
Qui tunc scidit animam,
Fac me firmet vis amoris
Mortis ad victoriam.

QVARTÆ TRIADIS.

1. Pater noster,&c.

IESV victa, resurgebas,
Morte, mœstis apparebas
Consolator cordium.
Fac à morte vitiorum
Rediuiuus te decorum,
Expers cernam sordium.

2. Pater noster,&c.

IESV Cœlos ascendisti.
Et triumphans accepisti
Summum cœlo brauium.
Vt & ego comprehendam
Sic fac curram, nec offendam
Per hoc mundi stadium.

3. Pater noſter,&c.

IESV cœlo Paracletum
Mittens ſacri gregis cœtum
Sanctò reples Pneumate,
O per Numen veritatis,
Noſtra reple pietatis
Pectora chariſmate.

V. Aue Maria,&c.

GAude quia dulcis nati
Quem vidiſti mortem pati
Fulget reſurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens, & ſupernorum
Guſtum ſpiret actio.
Gaude cœlos aſcendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.
Via vitæ reſtituta.
Quam poſt natum tu ſecuta
Fac vt ſequar ſerio.
Gaude quia Paracletus
Miſſus cœlo, nouos fœtus
Igne format Entheo.
Igne ſacri nos amoris
Fac accendi ne laboris
Capiamur tædio.
Gaude quæ poſt Chriſtum ſcandis,
Aſtra cœli fiſque grandis
Filij conſortio.
O fac fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio. Amen.
Credo in Deum,&c.

FINIS.

2-4